



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Tractatus V. De Religione, & Vitijs oppositis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

dit in arcium everfione, urbium expugnatione, &c. Nam tunc ratio boni communis præponderat privato.

In Bello ju-
fto, cui ac-
quirentur
bona ho-
ftium?

49. CONCL. VII. In Bello jufto bona mobilia ab hoftibus capta Jure Gentium fiunt occupantis; quod verum est, nifi confuetudo, vel leges particulares locorum contrarium ftatuant: Bona autem immobilia fiunt Principis, vel Reipublicæ juftum Bellum indidentis. Ita communis; & patet ex §. *Item ea. Inftit. de Rerum divifione*, ibi: *Ea, qua ex hoftibus capimus, Jure Gentium ftatim nofta fiunt.* Concordat textus l. *Si quid bello. ff. de Captivis*, junctâ Glofâ ibidem, rectè hoc de rebus mobilibus intelligente. Quòd fi tamen alicubi vigeat lex particularis, vel confuetudo, ut tota præda in communi reponatur, & fingulis æqualiter dividatur, juxta illud Davidis Regis effatum, 1. Reg. 30. *Æqua pars erit de- fcendentis ad prælium, & remanentis ad farcinas. & fimiliter dividet: tunc ea omnimodis erit obfervanda.*

Quid de
injufto?

50. Dicitur notanter, *in Bello jufto.* Nam capta ab hoftibus in Bello injufto, omnia funt obnoxia reftitutioni, ut dictum n. 42. Plura de Bello dicere non iuvat, fi verum est illud Poætæ:

Nulla falus Bello: pacem depoſcimus omnes.

TRACTATUS V.
DE RELIGIONE, ET VITIJS
OPPOSITIS.

Veritas
præſentis
Tractatus.

1. **P**æſens de Religione Tractatus, & cuius Catholico perutilis, & Confefſarijs ſcitu admodum eſt neceſſarius: cum enim ad Religionis virtutem pertineat, uni DEO debitam exhibere reverentiam & cultum, eadèmq; inter alias virtutes Morales ſit excellentiſſima, utpote proximè ad DEUM accedens. in quantum operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem Divinum; hinc patet, quàm utilis ſit cuilibet tantæ virtutis exactior notitia, ad perfectiorem illius exercitationem apprimè conducens.

DI-

DISTINCTIO I.

De Virtute Religionis, & varijs ejus Actibus.

QUAESTIO I.

De natura, objecto, & praestantia virtutis Religionis.

2. **N**omen *Religionis* à *religando* dictum est, eò quòd nos Omnipotenti DEO religet, seu astringat; juxta illud D. Augustini, *lib. De vera Relig.* circa finem: *Religet nos Religio uni Omnipotenti Deo.* Quamvis alij aliam hujus nominis derivationem assignent, dum volunt, Religionem dici à *relegendo*, quòd ea, quæ ad cultum Divinum pertinent, sæpiùs sint animo relegenda, seu revolvenda: vel tandem à *reeligendo*, quòd per eam Deum, quem per peccatum rejecimus, rursùm eligamus, seu reeligamus.

3. Tripliciter autem sumitur Religio. I. Pro virtute, qua debitum Deo cultum exhibemus. II. Pro fórmula cultus Divini omnibus communi, per quam mancipantur homines obsequio Divino, quantum præcisè necessarium est ad salutem consequendam: sic dicitur Religio Christiana, & Religio Catholica. III. Pro Statu Religioso; nec aliud est, quàm Fidelium ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus: in quo sensu dicitur *Religio Seraphica, Religio S. Dominici*, &c. & ejus Professores dicuntur *Religiosi*, & quandoque *Regulares*, à speciali Regula, quam profitentur. In proposito sumitur Religio in prima duntaxat acceptione, seu quatenùs est virtus, prout inscriptio præsentis Distinctionis, & Quæstionis, satis indicat, ibi: *De Virtute Religionis.*

4. CONCL. I. Religio est virtus moralis, inclinans ad debitum cultum DEO tanquam primo rerum omnium Principio exhibendum. Ita Lactantius *lib. 4. Divin. Instit. cap. 28.* estque in re

L I com-

communis. Dicitur, *Virtus*; quæ particula stat loco generis. Et additur, *Moralis*, ad differentiam Virtutum Theologicarum, à quibus distinguitur.

5. Dicitur ulterius, *ad debitum cultum* &c. Ubi per cultum intelligitur honor, non quidem quomocunque, sed cum quadam animi submissione exhibitus *Deo*, tanquam primo rerum omnium Principio, prout denotant verba sequentia. Nam hujusmodi submissionem honor in genere non includit; quia honor exhibetur non solum Superioribus, sed etiam æqualibus, imò & inferioribus, juxta illud Apostoli Rom. 12. *Honore invicem prævenientes*. Honor quippe generatim nihil aliud est, quam testimonium excellentiæ alterius; Cultus autem ulterius addit submissionem unius ad alium: unde Deus honorat quidem Sanctos, non verò colit. Nos verò per virtutem Religionis non solum absolutè seu nudè honoramus Deum, ipsius protestando excellentiam; sed etiam colimus, protestando supremam ejus excellentiam, nostramque ad ipsum submissionem, tanquam ad primum rerum omnium Principium: utpote cum omnia producat, conservet, atque gubernet infinità Sapientiã, Bonitate, atque Potentiã suã.

Objectum
Religionis
quale?

6. CONCL. II. Objectum materiale atque immediatum Religionis, siye *Objectum Quod* (ut loquuntur Theologi) non est Deus, sed ipsemet debitus cultus Deo exhibendus; quamvis virtus Religionis remotè quodammodo, & indirectè, etiam Deum respiciat pro objecto, nempe pro *Objecto Cui*: id est, quem attingit per actus suos tanquam finem, seu cui debitum cultum exhibere studet. Ita Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 30. dubitat. 2.* Herincx *disp. 1. de Religione, quest. 1.* estque in re communis. Ratio est: quia per hoc Religio differt à tribus Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, quòd hæc immediatè respiciant Deum, tanquam *Objectum Quod*, saltem primum; ideòque immediatè nos jungant Deo. Econtra verò Religio respicit immediatè cultum Deo exhibendum, tanquam *Objectum Quod*, ipsum verò Deum tanquam *Objectum Cui*, seu mediante cultu, qui ei exhibetur. (a) Porro Objectum formale Religionis vel est ipsa Divina Excellentia, vel debitum in ea fundatum, indèque consurgens honestas colendi Deum.

(a) Ut dicitur
in Tract.
4. Dist. 1.
n. 8. & 10.
Religio inter
virtutes
Moralis
præstantis-
sima.

7. CONCL. III. Etsi Virtutes Theologicæ sint præstantiores Religione, eò quòd immediatè attingant Deum, ramen inter Virtutes Morales Religio est omnium præstantissima. Ita Docto-

res communiter cum D. Thoma 2.2. q. 81. art. 6. Ratio est: quia excellentia virtutum desumitur ex præstantia objecti, ac modi illud attingendi: atqui Religio post Virtutes Theologicas (ut pote quæ pro objecto immediato habent ipsummet Deum) habet objectum præstantissimum, videlicet debitum cultum Deo exhibendum, simulque magis de propinquo accedit ad Deum, tanquam ultimum finem nostrum; ergo. Minor probatur inductione: nam Misericordia v. g. respicit pro objecto miseriam Proximi sublevandam, Justitia jus suum cuiilibet reddendum, & sicloquendo de cæteris; At Religio respicit pro objecto cultum Deo exhibendum, sicque propinquius attingit Deum.

8. CONCL. IV. Nihilominus actus Virtutum Theologicarum, cum aliarum omnium, possunt à virtute Religionis imperari, sicque aliquo modo ad hanc spectare. Ita Herincx loc. cit. n. 3. Ballæus tom. 1. §. Religio. 7. num. 5. & alij. Ratio est: quia omnes actus aliarum Virtutum possunt assumi ut medium colendi Deum, atque supremam ejus excellentiam profitendi. Sic D. Augustinus c. 3. Enchiridij ait, quod Deus colitur Fide, Spe, & Charitate. Similiter D. Jacobus in sua Canonica cap. 1. ait: Religio munda & immaculata hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Hoc quippe verificatur ex eo, quatenus ex motivo colendi Deum, nostramque erga eum submissionem profitendi, tales Virtutum actus elicimus; qui proinde à virtute Religionis imperantur, seu causantur. Nisi dicere velis cum Lessio loc. cit. n. 12. Religionem & Cultum interdum sumi generatim pro omni Virtutis officio, quo ordinamur ad Deum, sicque accipi in citato S. Scripturæ textu.

A Religione possunt imperari actus virtutum Theologicarum, & aliarum omnium.

QUÆSTIO II.

De varijs actibus virtutis Religionis.

9. **A**dvertendum, quòd quamvis Religio interdum sumatur generatim pro omni actu virtuoso, quo ad Deum ordinamur, eique obedire & placere studemus (nam & hoc modo servire Deo, sicque nostram erga Deum submissionem profiteri satagimus) propriè tamen illi sint actus virtutis Religionis, atque ab ea proximè eliciantur, qui peculiariter continent nostram erga Deum subjectionem, seu quibus propriè

Religio generatim, & propriè accepta.

significamus Divinam Excellentiam, & nostram erga Deum submissionem. Et de his loquendo, fit

Actus Religionis universim quot?

10. CONCL. I. Actus Religionis universim sunt undecim, videlicet Adoratio, Oratio, Devotio, Sacrificium, Oblatio, Primitiæ, Decimæ, Votum, Juramentum, Adjuratio, & Laus Dei. Ita Doctor Angelicus 2. 2. q. 82. & seqq. cum communi; & patet bunc singula magis ex dicendis.

Alij sunt interni, alij externi,

11. CONCL. II. Ex hujusmodi actibus Religionis, alij sunt interni, alij externi. Horum priores sunt, qui solâ mente interiorius perficiuntur; ut sunt Devotio, & Oratio: datur enim & Oratio mentalis, ac proinde hæc non necessariò in opus externum prodit. Posteriores sunt, qui in opus externum prodeunt: ut sunt Sacrificium, Oblationes, præstatio Primitiarum, vel Decimarum, & hujusmodi. Et de his omnibus singillatim agendo, fit

Devotio, ut est specialis actus Religionis, quid?

12. CONCL. III. *Devotio*, ut est specialis actus Religionis, nihil aliud est, quàm interna quædam suiipsius ad cultum Divinum oblatio, seu traditio; & rectè describitur, dicendo: Devotio est actus voluntatis hominis, offerentis seipsum Deo ad servendum. Ita communis: nam *Devotio* dicitur à *devoendo*, seu se ad alicujus servitium totaliter obtrungendo. Unde & olim apud Gentiles *Devoti* dicebantur, qui seipfos Idolis devovebant in mortem.

Devotionis largior acceptio.

13. Dicitur notanter, *Devotio*, ut est specialis actus Religionis, Siquidem Devotio quandoque sumitur non pro actu peculiari, sed pro ipsa pia affectione, seu promptitudine ad faciendum ea, quæ sunt Cultûs Divini; ut sunt Orationes, Laudes Dei, Sacrificium, &c. Qua ratione illi, qui promptè & ferventer talia affectant, & superatis vani timoris, tergiversationis, & aliarum perturbationum difficultatibus, cum gaudio spiritali similia præstant, dicuntur *Devoti*: & meritò, quia ostendunt se Divino cultui & servitio esse totaliter addictos, & mancipatos. Hinc etiam nonnunquam illi, qui in sæculo vivunt sub obedientia & directione alicujus Patris Spiritualis, *Devoti* appellantur, utpote specialius Dei servitio dedicati.

Devotionis causæ.

14. Porrò Devotionis hujus causa principalis est Spiritus sanctus, intellectum illuminans, & voluntatem accendens: quamvis ex parte nostra plurimum ea foveatur ex attenta & frequenti consideratione Divinarum Perfectionum, Beneficiorum Creationis, Conservationis, Gubernationis, ac præsertim Redem-

demptionis per Christum factæ, atque vicissim propriæ nostræ indigentia & miseriæ. Nam ex harum pia ruminacione oritur in nobis humilitas, & pia affectio totaliter nos Divino cultui & servitio mancipandi; sicque immiscent se diversi actus aliarum Virtutum, præsertim Theologicarum.

15. CONCL. IV. *Sacrificium* propriè acceptum, ac prout est actus distinctus à cæteris actibus Religionis, est oblatio externa rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum Dominium atque excellentia Dei, & subjectio sacrificantis ad ipsum, mediante aliquâ ipsius rei oblatæ destructione, seu immutatione. Ita in re communis. Dicitur, *Oblatio externa*. Quia Sacrificium propriè dictum est actus Religionis, & quidem externus, consistens in externa alicujus rei oblatione: prout in Veteri Lege factum legimus in immolatione bouum, arietum, vitulorum, hircorum, Agni Paschalis, atque in effusione diversorum libaminum. Sed hæc omnia Sacrificia defactò in Lege Evangelicâ coadunata sunt in uno tremendo, & incruento Mistæ Sa- (a) *Tract. crificio*; de quo tamen plura suo loco. (a) Dicitur ulterius, 14. *Dist. s. qua significatur supremum Dominium Dei, & subjectio sacrificantis ad per totum. ipsum*. Siquidem in hoc consistit ratio virtutis Religionis, quòd (b) *Ut di. Deo debitum exhibeamus cultum cum nostra erga ipsum sub-* *Et in Quest. missione*. (b) *præc. n. 5.*

16. Additur verò, *Sacrificium propriè acceptum, & prout est actus distinctus à cæteris actibus Religionis*. Siquidem largè ac impropriè loquendo, Sacrificium quandoque accipitur pro quolibet opere bono, quòd instar Sacrificij Deum placat, & conciliat: quo modo Contritio, Eleemosyna, imò & quodvis opus justitiæ, non rarò in S. Scriptura Sacrificium vocatur, ut Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitia*. Et Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, & alibi. Verùm in hisce textibus Sacrificium non accipitur propriè, ac prout est actus specialis Religionis, sed impropriè, atque largè pro quolibet actu bono in Deum relato.

17. CONCL. V. *Oblationis* nomen dupliciter sumitur: I. Latè seu genericè, pro omni videlicet re ad cultum Divinum oblata, seu data: quo modo quaslibet oblationes ad Dei cultum factas, & ipsas quoque Primitias atque Decimas comprehendit. II. Propriè, ac prout est specialis actus Religionis; sicque Oblatio accipitur pro spontaneis illis oblationibus seu donis, quæ Fideles ob Dei cultum atque honorem ad Altare deferre

(c) *Plura de his Tract. 11. Dist. 4. n. 9. & seqq.* ferre solent : quales oblationes ad Templum, & Arcam Dei, olim plurimas factas esse, constat ex S. Scriptura passim; talesque etiam defactò tum sub Missarum Solemnij, tum aliàs crebrò fieri videmus. (c)

Primitia, quid? 18. CONCL. VI. *Primitia* vocantur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, & arborum, Deo ut Largitori omnium bonorum in signum gratitudinis, nostræque subjectionis oblatis. Unde patet, oblationem Primitiarum esse specialem actum virtutis Religionis, & quidem externum; cum non nisi per actua- lem primorum fructuum ad Dei cultum oblationem fiat. Cœterum in animalibus *Primitia* proprio nomine appellantur *Pri- mogenita*.

Decimæ, quid? 19. CONCL. VII. *Decimæ* rectè definiuntur, quòd sint Pars decima omnium fructuum justè acquiritorum, Deo in recogni- tionem universalis sui Dominij debita, atque Ecclesiæ Ministris quot annis exolvenda. Ita in re communis, & desumitur ex *can. Decimas Deo. 16. quest. 7. & cap. Tua nobis. de Decimis*, ibi: *Decimæ, quas*

(d) *Tract. 11. Dist. 4. quest. 1. & seqq.* *Deus in signum universalis Dominij, sibi reddi precepit, suas esse decimas & primitias asseverans*, cum concordantijs. Verùm de Decimis, quin & Oblationibus ac Primitijs, ex professò alibi. (d)

Adjuratio, quid? 20. CONCL. VIII. *Adjuratio* est rei sacræ contestatio ad permovendum alterum. Ita communis. Sic *1. Thessal. cap. ult.* Apostolus petijt, dicendo: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc.* Item *Matth. 26.* Princeps Sacerdotum adjuravit Christum, dicendo: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus*, & alibi. Igitur Adjuratio debite facta est actus Religionis, quia per Divini Nominis invocationem, vel alterius rei sacræ reverentiam adjurando alterum, boni quidpiam ab eo obtinere contendimus; éstque Deo gratissimum, si reverentiâ & amore sui quispiam adjuranti obsequatur, prout & Christus illicò Principi Sacerdotum sese adjuranti obsecutus fuit, dicendo manifestè veritatem, de qua interrogabatur.

Fit duobus modis. 21. Duobus autem modis Adjuratio fieri potest, videlicet præcipiendo, & deprecando. Exemplum prioris habetur in citatis verbis Apostoli *1. Thessal. cap. ult.* Et hoc modo etiam adjurantur dæmones in Exorcismis Ecclesiæ, eisdem imperando, & hac Divini Nominis, atque rerum cœlestium contestatione, terrorem incutiendo. Exemplum posterioris habetur in precibus Ecclesiæ, per Christi adjurationem supplicantis exaudiri, dum in earum fine subjungere solet: *Per Dominum nostrum Jesum Chri-*

Christum &c. vel absolutè, Per Christum Dominum nostrum. Item & in Litanis deprecari Deum, Per crucem & passionem, Per mortem & sepulturam Christi Domini, ac hujusmodi.

22. CONCL. IX. Cùm Laus præconium importet, ac propriè sit populi de aliquo recta loquentis, prout explicat Calepinus: quid sit Laus Dei, notum erit omnibus Laudes Divinas in Ecclesia quotidie & audientibus, & personantibus; juxta illud Apoc. 19. *Laudem dicite Deo nostro omnes Sancti ejus, & qui timetis Deum, pusilli & magni.* Et Psal. 33. *Semper laus ejus in ore meo.* Quamvis Laus Dei, dum fit à nobis Viatoribus, fermè semper Orationi misceatur, sicque ad hanc reduci possit, ut notat Lessius *Lib. 2. cap. 37. num. 1.*

QUÆSTIO III.

De Adoratione Deo debita.

23. Explicatis præcedenti Quæstione nonnullis actibus virtutis Religionis, qui minori discussione indigere videbantur, pergendum ad reliquos (Juramento, & Voto ad specialem Tractatum reservato) singillatim explicandos. Et primo loco occurrit Adoratio, utpote præstantissimus Religionis actus, per quem reveremur supremam Dei Majestatem, nosque illi quantâ possumus corporis & animæ demissione subjicimus. Siquidem, ut inquit S. Damascenus Orat. 1. de Imaginibus: *Adoratio est submissionis nota; id est, Adoratio est actus, quo quis alteri se submittit in recognitionem suæ excellentiæ.*

24. Quia verò varia sunt excellentiarum genera, hinc pariter diversæ distinguuntur Adorationum species. Et quidem imprimis datur Adoratio merè Civilis, seu politica; qualis exhibet solet Regibus, Principibusque, propter excellentiam sui status, seu potestatis humanæ, quam præ alijs habent: quo modo passim in S. Scriptura leguntur quidam adorasse suos Reges; ut David 1. Reg. 20. *Adoravit tertio Jonathan, cadens pronus in terram.* Verùm de Adoratione merè Civili in proposito non agitur, sed solum de Adoratione sacra sive religiosa, quæ cupiam exhibetur ob excellentiam suam sacram & supernaturalem. Et de hac loquendo, sit

25. CONCL.

Hujus tres
sunt species,
nimirum
Latria,

Hyperdu-
lia,

Et Dulia.

Adorationis
Objectum
duplex, ma-
teriale &
formale.

Deo debe-
tur Cultus
Latriæ.

Tres Perso-
næ Divinæ
sunt unâ
Adoratione
adorandæ;
quomodo?

25. CONCL. I. Adorationis sacræ seu religiosæ tres sunt species, videlicet Latria, Hyperdulia, & Dulia. Ita communis Catholicorum. *Latria* juxta receptum Theologorum sensum, significat supremam & singularem illam Adorationem, quæ soli Deo propter summam atque infinitam suam excellentiam debetur: unde taliter describi solet: Adoratio Latriæ est actus Religionis, quo quis alteri (scilicet Deo) sese submittit tanquam habenti supremam supra se excellentiam. Per *Hyperduliam* intelligitur Adoratio, seu cultus ille, qui exhibetur creaturæ cuiusdam propter singularissimam suam excellentiam: & talis competit Beatissimæ MARIÆ Virgini, propter excellentiam Maternitatis DEI, ac specialissimam Sanctitatem, aliaque excellentissima dona sua. Per *Duliam* verò communiter intelligitur cultus ille, qui debetur Sanctis propter supernaturalem excellentiam suæ sanctitatis & gloriæ, quam habent in cælis.

26. Et notandum est, quòd objectum Adorationis sit duplex, formale scilicet & materiale. *Objectum formale* Adorationis est ratio ipsa, propter quam aliquid adoratur: cujusmodi ratio adorandi semper est dignitas & excellentia reperta in persona, quæ adoratur. *Objectum materiale* est ipsamet res, seu persona adorata, in qua reperitur ejusmodi excellentia. Sic cum Christum Dominum adoramus cultu Latriæ, ipsemet Christus est objectum materiale Adorationis; Divinitas verò Christi, ejusque suprema excellentia, est objectum formale ipsius.

27. CONCL. II. DEO, totique Sanctissimæ Trinitati, ac cuilibet Personæ Divinæ, debetur cultus Latriæ. Ita certa, & indubitata omnium Catholicorum: cum quælibet Persona Divina sit DEUS: DEO autem propter supremam suam in omnes excellentiam deberi cultum Latriæ, patet ex ipsa hujus nominis explanatione jam posita.

28. CONCL. III. Tres personæ Divinæ unâ Adoratione sunt adorandæ; non quidem sic hoc intelligendo, quasi una non possit distinctè ab alijs adorari, sed sic, quòd aliæ duæ explicitè non excludantur. Ita communis Theologorum, ac præsertim Matrius *disp. 11. Theol. Mor. n. 18.* Ratio prioris partis est: quia una est essentia, excellentia, Divinitas atque Majestas omnium trium Personarum Divinarum; & per consequens una Adoratio debetur omnibus. Altera pars patet: quia sicut unam Divinam Personam possumus distinctè concipere ab alia, ita & ado-

adorare, modò alteram explicitè non excludamus. Unde in Litanijs nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum sanctum invocamus; & pleræque Orationes Ecclesiæ diriguntur modò ad Patrem, modò ad Filium, modò ad Spiritum sanctum, quamvis interim cæteræ Personæ explicitè non excludantur. Impium enim, ac nefarium esset, alias excludere explicitè; quia licèt tres sint Personæ SS. Trinitatis, una tamen omnium est Essentia, Divinitas atque Majestas. Hinc dum unam Personam SS. Trinitatis adoramus, ac invocamus, semper implicitè ad alias duas, ceu unum Deum, nostra dirigitur adoratio, atque invocatio.

29. CONCL. IV. Christus est adorandus Adoratione Latriæ. Christus adoratur Cultu Latriæ.
 Est de fide. Ratio est: quia Christus non solum est homo, sed etiam verus Deus, cui utrique debetur cultus Latriæ. Nec obstat, quòd Christus simul includat naturam humanam, quæ non videtur posse adorari cultu Latriæ. Resp. enim, hinc solum sequi, quòd natura humana non spectet ad objectum formale Adorationis, sive quòd non sit ratio formalis adorandi Christum, utpote quæ est Divinitas ejus: non autem, quòd non spectet ad objectum materiale, seu *Quod* Adorationis, ut loquuntur Theologi. Nam, quia juxta Symbolum S. Athanasij, licèt Christus sit *Deus & homo non duo tamen, sed unus est Christus*, etiam unicâ Adoratione Latriæ is adoratur: in qua tamen ratio formalis & motiva adorandi est Divinitas ejus; objectum verò materiale, seu *objectum Quod*, ac terminus adæquatus hujus Adorationis, est unus ac totus Christus, verus Deus verusque homo.

30. CONCL. V. Etiam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum est adorandum cultu Latriæ. Ita omnes Catholici; estque novissimè definitum in Concilio Tridentino *Sess. 13. cap. 5. & can. 6. ibi: Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriæ, etiam externo adorandum, &c. vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, & ejus Adorationes esse idololatrias, anathema sit.* Ratio est: quia in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento adest, realitèrque continetur Christus Dominus, verus Deus, cultu Latriæ dignissimus.

SS. Eucharistiæ Sacramentum est adorandum Cultu Latriæ.

M m

QUÆ-

Q U Æ S T I O I V.

De Cultu Sanctorum, Sacrarum Reliquiarum,
atque Imaginum.Adoratio
absoluta,
& respecti-
va, quid?

31. **A**Dvertendum, quòd Adoratio alia sit absoluta, alia respectiva. Absoluta convenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis, atque adorabilis est: sic Deus, ac Christus cultu Patriæ absoluto est adorandus. Unde *Adoratio absoluta* illa est, qua quis colitur ob perfectionem, atque excellentiam sibi intrinsicam. *Adoratio respectiva* verò, qua quis adoratur seu colitur propter excellentiam alterius, quam repræsentat, aut in ordine ad eam consideratur: unde hæc convenit rebus etiam ratione carentibus, utputà sacris Imaginibus, quæ non propter se, sed propter alium, quem repræsentant, honorantur. His notatis sit

Sancti in
cælis ado-
rantur Cul-
tu Dulciæ, &
B. V. Maria
Cultu Hy-
perdulciæ
absoluto.
Hic cultus
est sacer.

32. CONCL. I. Sancti cum Christo in cælis regnantes, adorantur seu coluntur cultu Dulciæ absoluto, propter excellentiam suæ sanctitatis & gloriæ: Beatissima Virgo MARIA verò cultu Hyperdulciæ, tum ob perfectissimam atque excellentissimam ejus præ cunctis puris creaturis Sanctitatem & gloriam, tum ob singularissimam dignitatem Maternitatis DEI, qua verè nominatur, & est Mater DEI & Christi. Ita omnes Catholici,

33. Et nota, hujusmodi Adorationem seu cultum Sanctorum (qui duotermine apud Theologos inter se confunduntur; quamvis inter rudiores, ac præsertim in publicis Concionibus linguâ germanicâ habitis, ly *Adorare*, cultum Patriæ Deo debitum, & ly *colere* seu *venerari*, cultum Sanctorum denotare soleat) esse cultum sacrum & religiosum: quia objectum ejus formale, nempe excellentia Sanctitatis, gratiæ, & gloriæ, propter quam Sanctos, tanquam Dei Amicos veneramur, est aliquid sacrum & supernaturale. Unde sequitur, cultum Sanctis cum Christo in cælo regnantibus exhibitum, specie distingui à cultu merè civili & politico, qui hominibus; v. g. Regibus, Principibus &c. propter dignitatem sui statûs, vel potestatem humanam dari solet.

SS. Reli-
quiar, &
Imagines,
quomodo
venerentur?

34. CONCL. II. Sacræ Reliquiæ, & Imagines Sanctorum, venerantur cultu Dulciæ respectivo; Imagines autem Beatissimæ MARIÆ Virginis cultu Hyperdulciæ respectivo; ac tandem Ima-

Imagines Dei & Christi, item & Sacra Crux Christi, cultu Latriæ respectivo. Ita rursus Catholici omnes. Et quidem loquendo de sacris Reliquiis Sanctorum, in Concilio Trident. Sess. 25. in Decreto de Invocatione Sanctorum &c. sic habetur statutum: Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à Fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur. Hæc Concilium, exinde oppositum affirmantes denuo condemnans, prout iam pridem eos damnavit Ecclesia.

35. Loquendo nunc de cultu Sacrarum Imaginum, quas eum memoriæ gratiâ, atque ad recolenda Christi & Sanctorum gesta, cum ad impertiendum eisdem honorem debitum atque venerationem retinendas esse, Fides Catholica, atque perpetua Traditio Ecclesiæ docet, sunt inprimis benè notanda verba S. Concilij Trident. loc. cit. sic statuentis: Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem & reverentiam impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in ijs divinitas, vel virtus, propter quam sint colenda; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant: sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illa repræsentant, ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur, id quòd Conciliorum, præsertim verò secunda Nicænæ Synodi decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum. Hæc Concilium; cui modo loquendi ubique nos oportet insistere.

36. Ulterius quoad hunc Sacrarum Imaginum cultum advertendum est cum Pillucio tract. 23. de Religione, cap. 1. n. 27. & alijs, dupliciter Imagines considerari, ac venerari posse. Primo, quatenus sunt res quædam sacræ, spectantes ad usum Pietatis, & Religionis; quòd est, considerare Imagines materialiter. Deinde, quatenus sunt Imagines, ac repræsentativæ Prototypi; quòd est considerare Imagines formaliter. Si ergo considerentur Imagines primo modo, honorandæ sunt tantum ut res quædam sacræ; prout etiam vestes spectantes ad usum Pietatis & Religionis, in veneratione habentur: si secundo modo, honorandæ sunt sicuti Prototypa, cultu tamen respectivo. Circa quòd ultimum extat communissimum inter Doctores dictum, quòd si Prototypon adoretur adoratione Latriæ absolutâ, Ima-

Verba notabilia Conc. Trid. circa cultum SS. Imaginum

Imagines possunt dupliciter considerari quomodo



go ejus adoranda sit adoratione Latriæ respectivâ; si autem Prototypon adoratur adoratione Hyperdulæ, vel Dulæ absolutâ, Imago ejusdem adoretur adoratione Hyperdulæ, vel Dulæ respectivâ.

Objectio
Hæreticorū
contra Ima-
gines dilui-
tur.

37. Nec dicatur cum Hæreticis. *Exodi cap. 20.* habetur: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, qua in celo desuper &c.* ergo usus Imaginum est illicitus. Resp. enim negando consequentiam; nam loco citato, & in alijs hujusmodi S. Scripturæ locis, non prohibentur Imagines absolutè, vel quodcunque sculptile, sed solum, ut non fiant ad adorandum ea. Unde *loc. cit.* mox subjungitur: *Non adorabis ea, neque coles:* eo videlicet modo, sive cultu Divino, quo Gentiles adorabant communiter sua Idola, deosque alienos. Et certè, si Imaginum, aut cuiuscunque sculpturæ usus fuisset dictis verbis absolutè prohibitus, Salomon pessimè egisset, quòd in Templo Jerosolymitano posuerit duos Cherubim, *3. Reg. 6.* Imò & Deus præcepisset contraria, dum Moyse *Num. cap. 21.* præcepit, ut faceret Serpentem æneum: quod absit dicere.

Homines
Sancti nec-
dum Cano-
nizati non
possunt cul-
tu publico
honorari,
benè tamen
privato.

38. CONCL III. Homines vitæ Sanctitate, vel Martyrijsfama insignes, quamdiu à Summo Pontifice vel Ecclesia, in numerum Sanctorum necdum sunt relati, non possunt cultu publico & solemniter honorari, benè tamen cultu privato. Ita Bellarminus *lib. 1. de Sanctis, cap. 10.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 43. n. 3. & seq.* & alij communiter. Idque desumitur ex *cap. 1. & ult. de Reliquijs & venerat. Sanct.* ubi prohibetur, aliquem publicè venerari pro Sancto absque autoritate Romanæ Ecclesiæ; sicque à sensu contrario privatus honor permittitur.

Cultus pub-
licus, &
privatus,
quis?

39. Porrò per *Cultum privatum* intelligitur ille, qui non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, neque nomine Ecclesiæ, sed fit ex peculiari devotione colentis; sive deinde talis cultus fiat privatim, sive publicè videlicet alijs. *Cultus autem publicus,* seu solemniter, non ideò dicitur talis, quòd coram alijs exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, & tanquam ab ea institutus.

Corollaria
de cultu
privato.

40. Hinc sequitur I. Imaginem Sancti nondum Canonizati, neque Beatificati, posse in domibus nostris depingi & retineri, licere pedes vel manus talium Sanctorum deosculari, ipsorum vestes accipere, Reliquias asservare, in eorum honorem jejunare, preces ad Deum fundere, &c. sive alij hoc videant, sive non, dummodò absit scandalum. Ratio est: quia hujusmodi cultus est privatus, & non fit nomine Ecclesiæ.

41. Sequitur H. Non posse Episcopum in honorem Sancti necdum Canonizati diem Festum instituire : quia cultus publicus, qualis est celebratio Festi, Sanctorum nondum Canonizatorum, refer vatus est Summo Pontifici, *cit. cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctorum.* Item non licet privatim, aut publicè, in Litanijs, vel Officio Divino, invocare Sanctum nondum Canonizatum : quia Litaniaz, & Divinum Officium, sunt cultus, qui Sanctis exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, & nomine totius Ecclesiaz. Sanchez *loc. cit. n. 5.* Bonacina *disp. 3. in Decalogum, quest. 1. num. 2.* cum alijs. Idem dicendum de SS. Missæ Sacrificio, ob eandem rationem : unde si à Fidelibus petatur celebratio Missæ in honorem alicujus Sancti necdum Canonizati, oportet celebrare Missam de Festo vel Feria occurrente, & non propriam Missam, acceptam de Communi cum memoria, & invocatione talis Sancti. Insuper non licet necdum Canonizati Reliquias publicè venerandas proponere, sive in Processionibus circumferre, aut Altaria vel Tempia ipsis dedicare : hujusmodi quippe cultus pariter censetur publicus, ac proprius eorum, qui ab Ecclesia in Sanctorum numerum sunt relati.

42. Veruntamen hoc intelligendum est, nisi vel speciali Indulto Apostolico provisum fuerit : quo modo patet aliunde, non raro hætenus pro certis locis unum vel alterum prædictorum, imò & ipsam celebrationem Divini Officij de nonnullis Sanctis concessam esse, absque alia solemnè eorum Canonizatione, vel Beatificatione. Vel nisi per antiquam Traditionem, aut universalem Ecclesiaz consensum, de cuiuspiam Sanctitate constet : nam hujusmodi approbatio æquivaleret Canonizationi, & antiquitas non requirebatur forma Canonizationis, quæ nunc in usu est. Bonacina *cit. n. 2.* Sanchez *n. 11.* Suarez, ac alij, & concordant dicenda *num. seq. in fine.*

43. CONCL. IV. Imaginibus Defunctorum, qui cum bona Sanctitatis fama decesserunt, non possunt apponi Aureolæ, sive Radij; neque ipsæ in Oratorijs, aut locis publicis exponi, donec à Sede Apostolica Beati declarentur; & si quæ appositæ sunt omninò amoveri debent. Ita Angelus Lantusca *in Theatro Regularium, x. Beatificatio, num. 2.* idque patet ex Decreto Urbani VIII. quod incipit, *Sanctissimus* (& habetur tomo 4. Bullarij Romani, *Constit. 39. dicti Pontificis*) atque ex alia speciali ejusdem Constitutione, quæ incipit, *Celestis Hierusalem* (ac refertur in *cit. Bullario, Constit. 134. dicti Pont.*) ubi præfatus Pontifex, volens

Corollaria
de Cultu
publico.

Limitatio
prædicto-
rum.


Forma Ca-
nonizatio-
nis, quæ
nunc est,
olim non
requireba-
tur.

Decretum
Urbani
VIII. circa
Imagines
Sanctorum
necdum Be-
atificatorū,

occurrere abusibus, qui irreperunt in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrij fama vel opinione defunctis, & necdum Canonizationis, vel Beatificationis honore ab Apostolica Sede insignitis, sub gravibus poenis prohibuit, ne ejusmodi hominum cum Sanctitatis, seu Martyrij fama (quantacunque illa sit) defunctorum Imagines cum laureolis, radijs seu splendoribus, in Oratorijs, Ecclesijs, aliisque locis publicis aut privatis apponantur; néve eorum gesta, miracula, revelationes, seu quaecunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, sine recognitione & approbatione Ordinarij in libris enarrentur; & ne ad eorum sepulchra Tabellæ, atque Imagines ex cera, argento, aliave materia confectæ, vel lampades appendantur. Ubi tamen illicò subjungens Summus Pontifex declarat, quod per suprâ scripta præjudicare in aliquo nolit, neque intendat ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel in memorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.

Declaratio
dicti Decreti

44. Quia verò postmodum occasione dicti Decreti à quibusdam revocabatur in dubium, an Tabellas & Imagines, quas imposterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret? Eadem Sanctitas sua, quæ tantummodò voluit occurrere abusibus, qui irreperere videbantur, in alio Decreto (& refertur in cit. Bullario, ad finem præallegatæ *Constitut. 39.* nec non & in cit. *Constit. 134.*) declaravit, quod suæ intentionis nunquam fuerit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum & Imaginum hujusmodi; ita ut approbantibus Ordinarijs in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia, loco custodiri, ibidemque jam amota collocari & asservari possint, ut si quando Dominus talium Virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent hujusmodi Sanctitatis qualescunque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinanda.



QUÆ

QUÆSTIO V.

De Oratione, & conditionibus ad ipsam requisitis.

45. **O** Ratio quandoque sumitur largè, videlicet pro quacunque actione bona, atque ex pia intentione procedente: in qua acceptione videtur intelligendum illud Lucæ 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* In quem textum Ven. Beda ait: *Semper orat, qui semper secundum Deum operatur.* Deinde sumitur Oratio magis propriè, nimirum pro quovis animi pio motu erga Deum: hoc modo capitur à S. Damasceno lib. 3. de Fide, cap. 24. dicente, quòd *Oratio sit ascensus mentis in Deum*; & sic comprehendit sub se etiam illos pios motus intellectus & voluntatis, quibus Deum laudamus, benedicimus, atque pro acceptis beneficijs gratias agimus. Propriissimè tandem Oratio sumitur pro petitione seu postulatione alicujus boni ad Deum factâ; cujusmodi petitionem ipsum ly *Orare*, ex primæ va sua institutione importat.

Oratio vana
rè accipitur.

46. **CONCL. I.** Oratio propriissimè accepta, est rationabilis alicujus boni à Deo postulatio: sive, est decentium à Deo petitio, Ita in re communis. Tria siquidem in oratione spectari possunt, I. Desiderium nostrum, quo bonum aliquod nobis, alijsve conferri, vel malum averti cupimus. II. Hujus desiderij practica quædam explicatio, qua Deum conamur inducere ac permovere, ut id præstet, pro quo rogamus. III. Collatio boni desiderati; qualis fit à Deo. Ipsa verò essentia orationis consistit in secundo actu, nimirum in explicatione desiderij nostri per modum deprecationis, seu petitionis.

Oratio propriissimè accepta, quid?

47. **CONCL. II.** Oratio rectè dividitur in mentalem & vocalem, ac rursus in publicam & privatam. Ita communis. Oratio mentalis, mentalis est, quæ non voce, sed mente formatur; exercendo videlicet interiores animæ potentias circa Deum, & Mysteria potissimum Fidei, cum interna & familiari ad Deum colloquutione, variisque pijs affectibus voluntatis: prout fit in Meditatione; de qua D. Augustinus lib. de Spiritu & anima, cap. 70. ait: *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio verò perficit orationem.* Cæterum Oratio vocalis est, quæ formatur vocalis;

vocalis;

distinctis verbis ad extrà prolatis, exprimentibus pium internum desiderium nostrum ad Deum. Additur notanter, *exprimentibus pium internum desiderium*. Nam hæc sine ulla attentione, atque interiori affectu prolata, parum prodest, quin potiùs iram Dei provocat, juxta illud vulgatum:

Si mens non orat, in vanum lingua laborat.

Publica, &

Et tales meritò reprehenduntur illis verbis: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Isaïæ 29. & Matth. 15. *Oratio publica* dicitur, quæ nomine totius Fidelis populi per Ministros Ecclesiæ Deo offertur; ut fit in Missa, & Horis Canonicis: & talis necessariò debet etiam esse vocalis. *Oratio privata* est, quam singuli privatim quocunque decenti modo peragunt: de qua loquitur Apostolus 1. Timoth. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco, &c.*

Privata,
quæ?

Oratio ali-
qua est præ-
cepta,

48. CONCL. III. Oratio aliqua est præcepta à Deo, & adultis usum rationis habentibus necessaria ad salutem. Ita communis; & patet ex S. Scriptura, orationem passim nobis inculcante: ut Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea.* Item 1. Thess. ult. *Sine intermissione orate, & alibi.* Accedit ratio: quia auxilia Divinæ gratiæ, sine quibus homo nequit consequi salutem, communiter à Deo non conferuntur, nisi ad humiles preces nostras, juxta illud Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis.*

Quibus
temporibus
urgeat præ-
ceptum
Orationis?

49. Porrò tempora necessariò orandi, seu quibus urget præceptum Orationis, aptè determinantur à Sannig *tract. de Relig. dist. 1. quest. 3.* & alijs: ut primò sit necessitas orandi ad Deum tempore obligationis, quo peccator tenetur se reponere in statum gratiæ. Deinde tempore gravis tentationis, quæ alio congruenci remedio repelli nequit. Rursus tempore manifesti periculi mortis, quam constitutus in illo subire debet. Quartò tempore gravis pressuræ Reipublicæ, aut Proximi, quæ solâ oratione aboleri potest. Et tandem, quotiescunque aliquod auxilium Divinum speciale necessarium est ad salutem spiritualem, vel corporalem. Atque, ut taceantur particulares obligationes Clericorum, aut Beneficiorum ad perfolvendum Horas Canonicas, vel Confitentium ad implendam Pœnitentiam injunctam; haud desunt Doctores, non excusantes à peccato veniali eos, qui manè ac vesperi orare negligunt, tum Deo gratias debitas referendo pro receptis præteritâ die aut nocte beneficijs, tum ejus auxilium implorando pro evitandis instantibus periculis. Cæteri verò satis communiter fatentur, Orationem non posse intermitti ad longum tempus, utpote ad mensē, vel, ut ali-

aliqui volunt, ad octo dies. Herincx *disp. 1. de Religione, q. 3. n. 19.*
& concordant dicta superius *Tract. 4. Dist. 2. Quaest. 3.*

50. CONCL. IV. Non modò bona spiritualia, sed etiam temporalia, à Deo rectè postulantur; ita tamen, ut bona temporalia, v. g. sanitas, longitudo vitæ, officia, divitiæ, &c. non omninò absolute, sed solùm sub conditione, quatenus ad bonum salutaremque usum, atque ad vitam æternam consequendam profunt, neque saluti animæ obsunt, rectè à Deo postulentur. Ita communis; & constat ex Oratione Dominica, in qua juxta Christi instructionem bona tum spiritualia, tum temporalia, postulantur. Quòd autem bona temporalia non absolute, sed duntaxat ut conducentia ad vitam æternam, rectè postulentur à Deo per orationem, patet ex eo: quia non rarò ejusmodi bona sunt homini occasio ruinæ spiritualis, ac protrahunt in peccatum; unde in hujusmodi circumstantiis, Deo optimè præcognitis, malè eadem absolute peterentur.

Quæ bona
rectè per
Orationem
postulantur
à Deo?

51. CONCL. V. Oratio, si fiat cum debitis conditionibus, indubitata, atque ex Christi promissione infallibilem habet efficaciam. Ita Sannig *loc. cit. num. 6.* Layman *lib. 4. tract. 1. cap. 1.* & Theologi communiter cum D. Thoma *2. 2. q. 83. art. 15. ad 2.* Habetur hoc clarè ex S. Scriptura, ac Christi promissione, dicentis, Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis.* Item Lucæ 11. *Omnis, qui petit, accipit.* Et rursus Ioan. 16. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Atqui promissio Christi est infallibilis; ergo.

Oratio debite facta
habet infallibilem effectum.

52. CONCL. VI. Condiciones, quibus concurrentibus semper aliquis impetrat, quod petit, quatuor sunt: ut videlicet quis pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter. Ita Doctor Angelicus *loc. cit.* & alij. Et hæc quatuor condiciones continentur in præallegatis Salvatoris verbis, Ioan. 16. Nam *ly, dabit vobis*, primam conditionem; *ly, si quid*, secundam; *ly, in nomine meo*, tertiam; actandem *ly, petieritis*, quartam satis demonstrat.

Sed quatuor
ad hoc requiruntur
conditiones.

53. Prima itaque conditio est, ut Oratio fiat pro seipso, non pro alijs, juxta doctrinam S. Augustini, *tract. 102. in Joannem*, dicentis: *Exaudiuntur omnes pro seipsis, non autem pro omnibus; unde non simpliciter dictum est, Dabit; sed, Dabit vobis.* Nam etsi pro alijs quoque ex charitate orare possimus, ac debeamus, juxta illud Jacobi 5. *Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet oratio justis assidua.* Ideò tamen difficilior impetratio censetur esse pro altero, quàm pro seipso; quia, ut Deus conferat gratiam, seu donum, quod peti-

1. Ut Oratio
fiat pro seipso.

tur, debet homo esse dispositus ad recipiendum: quæ dispositio non est in libera potestate orantis, si pro alio oret; bene tamen, quando orat pro seipso. Quod si persona altera, pro qua oratur, sit debite disposita, etiam orationem factam pro ipsa, cæterisque vestitam conditionibus, comprehendi sub dicta Christi promissione, merito censet Layman *loc. cit. n. 10.*

II. Ut petantur necessaria ad salutem.

54. Altera conditio est, ut petantur necessaria ad salutem. Nam, ut discurret D. Augustinus *loc. cit.* *Non petitur in nomine Salvatoris, quidquid petitur contra rationem salutis: Et infra: Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tanta rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est.*

III. Ut Oratio sit pia.

55. Tertia conditio est, ut Oratio sit pia; videlicet actus virtutis Religionis, per quem homo se Deo, tanquam supremo Domino, subicit. Ad hoc autem multum conducit humilitas orantis, plena fides seu fiducia in Deum, opera Misericordiæ, &c. juxta varios, & passim obvios textus S. Scripturæ. Ut verò is, qui orat, sit in statu gratiæ constitutus, tamen ad impetrationem orationis, stantibus supra dictis conditionibus, absolute non requiratur; ut patet ex oratione Publicani à Deo exauditi, cum dixit Lucæ 18. *Deus propitius esto mihi peccatori:* requiritur tamen status gratiæ ad meritum de condigno vitæ æternæ, atque augmenti gratiæ sanctificantis. (e)

(e) Ut dicitur in Tract. 1. Dist. 2. n. 42. & 45.

IV. Ut fiat perseveranter.

56. Quarta est, ut perseveranter oremus: id est, non statim desistamus ab oratione, si nos non exaudiri arbitremur; sed iterato, sæpius, & instanter petamus, secundum illud Luc. 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Et Coloss. 5. *Orationi instate.* Etenim, ut S. Augustinus *Serm. 5. de Verb. Domini, cap. 5.* monet, idè Deustardius nonnunquam dat, quæ petimus, ut tandem ferventius & perseverantius orantes, plus etiam impetremus, ac petimus. Quædam etiam non negantur, sed ut congruo tempore dentur, differuntur.

Causa, cur multi petant, nec accipiant, quæ?

57. Ex dictis patet ad communem multorum hominum querelam, qui orant, & non accipiunt. Causa quippe est, cur multi non obtineant, quod petunt: quia nimirum conditiones præscriptas non observant; ac præsertim bona temporalia petendo, eadem non ad debitum finem, sive salutem animæ suæ referunt; juxta illud Jacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis, ut in concupiscentijs vestris insumatis.* Unde D. Basilus, *Serm. De orando Deum,* inquit: *Ideo quandoque petis, & non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferenda tibi, vel destitisti.*

§ 8. Imò

58. Imò dum cæteroquin debitè rogamus pro bonis temporalibus, v. g. moderatis divitijs, sanitate, &c. quas nobis non expedire nescimus, non idcirco irritæ erunt preces istæ: tum quia, si fiant in statu gratiæ, sunt meritoria gloriæ coelestis, & augmenti gratiæ: tum quia in tali casu ordinariè loco ejusmodi bonorum temporalium, v. g. sanitatis, divitiarum, quæ Deus novit nobis magis fore nociva, sicque misericorditer negat, solet Deus debitè rogantibus conferre alia bona temporalia, vel saltem spiritualia specialium auxiliorum gratiæ, magis profutura ad consequendam vitam æternam. Audiatur Jeremias Drexelius lib. 5. Heliotropij, cap. 2. dicens: *Certissimum est, nullas preces cum debita voluntatis resignatione factas esse irritas, nullas omninò: aut enim quod petitur, aut melius quid impetrabitur.* Et S. Isidorus in Sententijs: *Creberrimè non exaudit Deus ad voluntatem, sed exaudit ad salutem.*

Preces ne-
stræ debitè
factæ, nun-
quam sunt
irritæ etiam
pro bonis
temporali-
bus.

59. Quòd si verò absque debita in Divinam voluntatem resignatione, quin & obstinatè, quidpiam à Deo extorquere contendamus, verendum, ne quod ut optimus Pater negavit, ut rigidus Judex permittat in nostrum malum. Ac proinde, in omnibus omninò precibus illud Domini pro clausula usurpandum: *Veruntamen non mea, ô Deus, sed tua voluntas fiat,* prout devotissimè monet citatus Drexelius.

Castela pe-
tentium
bona tem-
poralia.

DISTINCTIO II.

De Vitijs Religioni oppositis per excessum.

QUÆSTIO I.

Quid sit Superstitio, & quæ species ejus?

1. Sicut in cæteris Virtutibus, ita & in Religione vendicat sibi locum illud vulgatum: *Virtus consistit in medio.* Unde Poëta canit: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines: Quos ultra, citràque nequit consistere virtus.* Igitur contra Religionem potest peccari, tum per excessum, & nomine generico dicitur *Superstitio*; tum per defectum, & vocatur *Irreligiositas*. Ultraque harum varias sub se species complectitur. Et quidem sub Irreligiositate

Religio
consistit in
medio.

Quæ vitia
eidem op-
ponantur?

N 2

con-

continentur ea vitia, quæ pertinent ad contemptum seu irreverentiam Dei, ac rerum sacrarum; cuiusmodi sunt Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Blasphemia, Perjurium, ac Violatio Voti; de quibus singillatim dicitur, tum in sequenti Distinctione, tum alibi proprijs in locis. Superstitio continet sub se Idololatriam, Divinationem, vanam Observantiam, & Magiam, unâ cum alijs adhuc duabus Superstitionis speciebus, quæ contingunt ex parte cultûs indebiti; de quibus omnibus in præsentî Distinctione, ordiendò à Superstitione, ejûsque speciebus in genere.

Superstitio,
quid?

2. CONCL. I. Superstitio in genere est falsa religio, seu vitiosus cultus veri aut falsi Numinis; ac rectè definitur, dicendo: *Superstitio* est vitium Religioni oppositum secundùm excessum, quo quis Divinum cultum vel illi exhibet, cui non debet; vel eo modo, quo non debet. Ita in re communis. Et si enim vel maximè Superstitio committatur in cultu falsorum deorum, tamen etiam in cultu veri Dei hoc vitium accidere potest: prout patet in Judæis defacto Legalia veteris Legis observantibus; & in Hæreticis, qui olim aquam pro vino, vel sanguinem infantum in Eucharistia offerebant, qui idcirco non Religiosi, sed Superstitiosi nuncupandi sunt, quamvis vero Deo talia præstiterint. Itaque Superstitio utrumque complectitur, & cultum falsorum Deorum, & excessum in cultu veri Dei.

Contra Religionem
quomodo
possit peccari
per excessum?

(a) *Conformiter
dictis
Tract.*

4. *Dist. 1.
num. 19.*

3. Neque dicas. Deus est dignus omni laude, cultu ac reverentiâ; ergo non potest dari excessus in ejus cultu, neque peccari contra virtutem Religionis per excessum. Resp. enim (a) concessò antecedente, distinguendo consequens: ergo non potest dari excessus ex parte objecti virtutis Religionis, id est, respectu Majestatis Divinæ, utpote quæ dignissima est omni honore & cultu, conceditur: non potest dari excessus ex parte modi incongrui, aut cultûs indebiti ratione rei cultæ, negatur consequentia. Sicut enim v. g. Amor Dei ex parte objecti non habet medium, imò eò perfectior est, quò intensius fertur in Deum, utpote objectum infinite amabile; habet tamen medium ex parte actûs, quia potest dari excessus in ejus exercitio, si nimium modo illicito Dei Amorem elicere velimus, nos v. g. interficiendo: ita & Religio ex parte objecti, quod est Divina Majestas, medium non habet, neque patitur excessum; benè tamen ex parte actûs, uti fit, si verum Deum falso, aut indebito cultu colamus, vel loco veri Dei falsum Numen adoremus.

4. CONCL.

4. CONCL. II. Duæ sunt species Superstitutionis, in quas ipsa immediatè dividitur, nempe Superstitio ratione rei cultæ, quæ coli non deberet; & Superstitio ratione cultûs incongrui, dum modo indebito seu inconvenienti verus Deus colitur. Ita communis, & patet ex proximè dictis. Porro utraque hæc Superstitutionis species rursùm subdividitur; & hinc fit

Superstitio-
nis duæ sunt
species.

5. CONCL. III. Superstitio ratione rei cultæ, quæ coli non deberet, sive Superstitio ratione cultûs falsi Numinis, subdividitur in Idololatriam, Divinationem, Observantiam superstitiosam, & Magiam. Ita Herincx *disp. 7. de Religione, n. 3.* & communior quamvis Fillucius *tom. 2. tract. 5. n. 4.* addat pro quinta specie Maleficium: alij verò ad vanam seu superstitiosam Observantiam referant Magiam, & Maleficium; ac proinde tres duntaxat Superstitutionis species ex parte rei cultæ, quæ coli non deberet, assignent. Ratio Conclusionis est: quia vel diabolus honoratur ut Numen; & est Idololatria: vel colitur, ut aliquid occultum revelet; & est Divinatio: vel, ut dirigat in operando; & sic est Superstitio vanarum Observationum, aut Magia, ad quam reducitur Maleficium, prout amplius patebit ex dicendis.

Una ratio-
ne rei cultæ,
quæ coli
non debe-
ret; & quo-
modo hæc
subdivida-
tur?

6. CONCL. IV. Superstitio ratione cultûs incongrui, subdividitur in Superstitutionem cultûs falsi, & Superstitutionem cultûs superflui. Ita D. Thomas *2. 2. q. 93. art. 1. & 2.* cum communi: & patet inductione. Siquidem

Altera ra-
tione Cul-
tûs incon-
grui; ejus-
que subdi-
visio.
Cultus fal-
sus, quis, &
quomodo
accidat?

7. *Cultus falsus*, seu mendax dicitur, vel quia habet falsam significationem: ut si quis defacto coleret Deum cæremonijs Judaicis, quæ significant Christum venturum. Vel quia imitatur quis falsò verum cultum: ut si quis falsis Miraculis veram doctrinam Christianam confirmare velit, aut proponat falsas Reliquias: item si quis mutet materiam, vel formam Sacramentorum, animo colendi Deum, prout faciunt Hæretici nostri temporis in Coena sua committentes Superstitutionem falsi cultûs; non enim Christi institutum, sed suas inventiones pertinaciter sequuntur. Insuper ejusmodi cultus potest esse falsus, ac mendax, falsitate ex parte ipsius colentis se tenente: ut dum quis Deum colit tanquam publicus ab Ecclesia constitutus Minister, cum commissionem seu potestatem nullam habeat, vel talem non habeat; puta si quis Sacrificium offerat, cum Sacerdos non sit, cujus exemplum habemus in Saule, *1. Regum 13.*

8. Et quidem certum est, quòd hujusmodi Superstitio, atque omnes isti superstitiosi, falsique cultus, sint ex genere suo

Er quale
peccatum?
pec.

peccatum mortale. Tum quia gravis inde irreverentia Deo inferitur. Tum quia sunt falsitates perniciosæ, atque nonnunquam nascuntur ex Infidelitate ac Hæresi; uti fit in Ritibus superstitionis Judæorum, & Hæreticorum. Tum tandem, quia prædicatione falsorum Miraculorum, nec non & falsarum Reliquiarum suppositione, obfuscat fides verorum, minorque reverentia & cultus eisdem exhibetur: & hinc eos, qui prædicant falsa Miracula, vel incerta, excommunicari refert Navarrus *Cap. 27. Manualis, num. 111.* idque desumitur ex Constitut. 21. Leonis X. *Superna Majestatis*, & habetur tom. 1. Bullarij Romani.

Cultus superfluous, quis?

9. *Cultus superfluous* econtra dicitur ille, quando præter morem Ecclesiæ ponitur religio in quibusdam circumstantijs, vel rebus, in quibus non est ponenda: ut si quis Deum colere aggrediatur illis ritibus, modo, seu cæremonijs, quæ neque ad ipsius Dei gloriam, neque ad spiritûs excitandi devotionem inserviunt, aut quæ sunt contra statuta, vel consuetudinem Ecclesiæ: uti foret, in Missâ sæpius dicere Alleluja, plures Cruces facere, quàm sit præscriptum, in eadem tot vel taliter dispositas candelas, & non plures adhibere, audire Missam à Sacerdote, qui nominatur Joannes, aut hujusmodi.

Et quale peccatum?

10. Cæterùm Cultus iste superfluous, seu tales ritus superstitionis, secluso scandalo & Ecclesiæ contemptu, sunt ordinariè tantùm peccata venialia, ut docent Cajetanus, Lessius, Layman, Navarrus, Toletus, & alij. Quod intelligendum, nisi esset cultus non tantùm vanus, sed etiam turpis, aut aliàs graviter in eodem excederetur: nam tunc incurri peccatum mortale pro gravitate materiæ, certum est.

QUÆSTIO II.

De Idololatria.

Idololatria, II. quid?

CONCL. I. *Idololatria*, quæ est prima Superstitionis species, & ex suo genere peccatum mortale gravissimum, rectè describitur, quòd sit Servitus, quæ soli Deo debetur, exhibita alicui creaturæ. Ita in re communis. Dicitur, *Servitus*: quia per Idololatriam Idololatræ serviunt Idolis, cultum Latræ, soli Deo debitum, illis impendendo; juxta quod dicit Apostolus Rom. 1. *Servierunt creaturæ potius, quàm Creatori.*

12, Quòd

12. Quòd autem Idololatria sit peccatum mortale gravissimum, patet ex eo : quia Idololatra per Idololatriæ peccatum, honorem Divinum, ipsámque Divinitatem, quantum in se est, transfert in creaturam; teste Apostolo Rom. 1. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis imaginis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium; & alibi.* Unde sicut in Republica gravissimum censeretur crimen læsæ Majestatis, honorem Regium, ipsámque Regiam Majestatem in alium, quam legitimum Principem, ex plena scientia, quantum in se est, transferre; ita & in proposito gravissimum crimen est læsæ Majestatis Divinæ, gloriam Dei in creaturam, seu Idolum transferre.

Est peccatum gravissimum.

13. Notandum tamen, quòd nomen Idololatriæ dupliciter accipiatur. Primò quidem propriè pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Deinde metaphoricè, pro omni peccato mortali, quo quis mortiferè inhæret creaturæ: quo modo ad Philipp. cap. 5. Avaritia vocatur *Idolorum servitus.* Et in hoc sensu S. Hieronymus in cap. 2. Amos, ait: *Avarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem & Beelphegor colit. Lasciva mulier, quæ cum sit in delicijs, mortua est, adorat venereas voluptates.* Et meritò omne peccatum mortale sub nomine Idololatriæ metaphoricè sumptæ denotatur, cum peccator per peccatum mortale voluntariè recedens à Deo, ut creaturæ adhæreat, censeatur plurius facere creaturam, quam Deum; ac proinde illam habere loco Dei, hæcque ipsi esse instar Idoli.

Idololatriæ metaphoricè accipitur pro omni peccato mortali.

14. Sed hoc loco Idololatria propriè sumitur pro cultu, quo creatura colitur loco Dei. Nec tamen idcirco cultus Sanctorum cum Christo in cælis regnantium, aut Sacrarum Imaginum, erit Idololatria: nam illos non honoramus ut deos, sed ut Amicos Dei, cohæredes Christi, nostrósque apud Deum intercessores; Imagines autem cultu duntaxat veneramur respectivo, ut jam dictum superiùs. (b)

Hic sumitur propriè, nec solum comprehendit Cultum Sanctorum. (b) Diff. præc. Quest. 4. per totum

Q U Æ S T I O III.

De Divinatione, variisque ejus speciebus, & gravitate.

15. **C**ONCL. I. *Divinatio* (prout de ea hic loquimur, estque species Superstitionis) est inquisitio de aliquo occulto, quid ope vel disciplinâ dæmonis facta. Quo modo Divinatio

Divinatio; quid?

tio passim accipitur in S. Scriptura, in qua soli illi vocantur *Divini*, qui ope dæmonis divinant, seu futura aut incerta revelare nuntur. Etsi enim dæmones non possint certò cognoscere futura, circa quæ potissimum versatur Divinatio (quamvis latius accepta etiam ad aliorum occultorum, v. g. thesaurorum absconditorum inquisitionem, ope dæmonis factam, se extendat) longè tamèn plura dæmones de rebus futuris, aliisque occultis cognoscere possunt, quàm homines.

Contingit dupliciter.

16. CONCL. II. Divinatio dupliciter contingit, nimirum vel per expressam dæmonis invocationem, vel per implicitam. Ita certa, & communis. Ex his ulterius.

Divinationis per expressam dæmonis invocationem, varij modi, qui:

17. Prima Divinationis species, seu in qua diabolus expressè invocatur, multis modis contingit, prout nimirum diabolus diversimodè consulitur, aut consultus respondet. Aliquando enim apud veteres Gentiles consulebatur per sacrificia animalium, & diabolus respondebat per signa quædam apparentia in extris animalium; & vocatur *Haruspicium*. Aliquando consulebatur per preces coram Idolis profusas, & solebat dæmon respondere per Idola; & dicitur *Oraculum*. Aliquando consulebatur in Pythonicis, vel Pythonissis, quos ipse possederat: quandoque id accidit per varias adjurationes, figuras, unctiones, specula, aliaque signa per diabolum instituta, & media detestanda, quæ Dominus Deus passim in S. Scriptura execratur. Et hanc Divinationis speciem, in qua diabolus expressè invocatur, esse gravissimum peccatum mortale, certum est, & indubitatum; eò quòd importet consortium, & societatem cum dæmone, perpetuo & infensissimo hoste veri Dei. Et hac de causa rectè notant Doctores, ut Bonacina *disp. 3. in Decalogum, quest. 5. punct. 3. n. 17.* Herincx *cit. disp. 7. n. 16.* & alij, non dari parvitatem materiæ à mortali excusantem, si Divinatio seriò fiat.

Ea est gravissimum peccatum, nec admittit parvitatem materiæ.

Divinatio per tacitam dæmonis invocationem, quæ:

18. Altera Divinationis species, seu quæ continet tacitam & implicitam dæmonis invocationem, fit, cum quis notitiam aliquis rei ex signo aliquo consequi seriò confidit, quam illud naturaliter nullo modo indicare potest. Tunc enim Divinator talem notitiam à dæmone tacitè desiderare convincitur, cum certum sit, ejusmodi signa vanitatis à Deo instituta non esse.

Ejus plures sunt species. I. Astrologia judiciaria.

19. Hujusmodi Divinationis, quæ fit per pactum implicitum, plures species recenset D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 3. & seqq. quem sequuntur alij. Prima est Divinatio per Astras; vocaturque *Astrologia judiciaria*, quæ ex aspectu, situ, & motibus a tro-

SUM.

rum, eventus à libero arbitrio pendentes prædicunt, vel præteritos aut præsentis occultos effectus revelat: v. g. Platonem tale conjugium celebraturum, esse authorem hujus furti, moriturum ruinam suarum ædium, &c. Dicitur notanter, *eventus à libero arbitrio pendentes*, &c. Nam per hoc nullatenus reprobatur Astrologia naturalis, qua situs & motus astrorum observantur, atque ex ijs colliguntur effectus purè naturales: ut eclipfes, pluvia, siccitates, morbi animalium, pestes, salubritates, &c. Hæc enim omnino licita est, & humano generi perquam utilis.

Sed naturalis est licita.

20. Secunda hujus Divinationis species est *Physiognomia*, per quam ex corporis, puta vultus, manuum &c. lineamentis liberè contingentes eventus, aut prospera vel adversa prædicuntur. Ejus partes sunt *Metoposcopia*, & *Chiromantia*: quarum prior ex facie hominis, frontisque inspectione; altera verò ex manuum lineamentis, quid cui eventurum sit, divinatur, seu prædicuntur: ut solent facere Cingari. Dicitur rursus, *liberè contingentes eventus*: datur enim etiam *Physiognomia*, *Metoposcopia*, & *Chiromantia* naturalis, per quam ex corporis & membrorum habitudine ac proportione, vultus item ac manuum lineamentis, de corporis valetudine ac temperamento, consequenter de hominis etiam ingenio, atque animi propensione, nec non & de superventuris morbis, morte vel sanitate, prædictio aliqua vel conjectura licitè fieri potest. Lessius *lib. 2. cap. 43. n. 45.* Delrius *lib. 4. c. 3. q. 4.* Sanchez, Layman, & alij.

II. Physiognomia.

Metoposcopia, & Chiromantia.

Verùm naturalis licita est.

21. Tertia dictæ Divinationis species fit per somnia. Et quidem tunc *Observantia somniorum* est illicita, & cum dæmonis pacto saltem implicito conjuncta, cum ex illis vanè ac temerè fit conjectatio de effectu liberè eventuro, aut merè casuali vel fortuito. Talis *Observantia somniorum* multùm apud Ethnicos fuit usitata, & à S. Scriptura graviter reprehensa; ut Levit. c. 21. *Non augurabimini, neque observabitis somnia*, & alibi. Unde & 2. Paralio. 33. graviter taxatur Manassès, quia *observabat somnia, sectabatur argurum, maleficio artibus inserviebat*. Cum enim somnia pleraque naturaliter contingant, atque alia & alia juxta diversam corporis constitutionem, ac temperamentum, aut præcedentes animi affectiones, aliasque causas naturales proveniant; nequit ex iisdem capi prænotio de eventibus liberis, nisi vel à Deo, vel à diabolo immutantur: ergo quoties non dignoscuntur esse à Deo, si quis ex eisdem divinet, subijcit se disciplinæ diaboli.

III. Observantia somniorum.

OO

22. Ex

Et quale
peccatum
fit?

22. Ex his sequitur, quod Divinatio ex observatione somniorum fit ex genere suo peccatum mortale. Per accidens nihilominus potest Observantia somniorum quandoque esse venialis; utputa ratione simplicitatis, dum homo rudis ea purat esse à Deo; vel quia solum tenuiter credit eisdem. Quod si somnia proveniunt provenire ex causis naturalibus, licitum est ex iisdem capere conjecturas de ejusmodi causis, v. g. de valetudine, vel constitutione corporis, ac hujusmodi. Somnia autem divinitus immissa, certum est, esse sequenda; qualia leguntur habuisse Joseph Pro-Rex Egypti, *Genes. cap. 37.* S. Josephus, Sponsus Beate MARIE Virginis, *Matth. 1.* Tres Magi, *Matth. 2.* aliique plures; juxta quod *Num. 12.* Deus dixerat: *Si fuerit Propheta inter vos, per somnium loquar ad eum.*

Unde dignosci potest, somnium esse à Deo, vel potius à dæmone?

23. Quæres, unde dignosci possit, somnium esse à Deo, vel potius à dæmone? Resp. Inter somnium Divinum & diabolicum communiter discernunt Viri sancti & Doctores, tum ex materia finisque ejus, utrum ad rem bonam & honestam, an verò ad turpem impellar: tum ex interna somniantis, atque ex somno excitati affectione; ut est illustratio, & consolatio animi, insolita promptitudo ad Dei obsequium, & hujusmodi. Nam talia à somnio Divino causantur; econtrà verò somnia diabolica vel ad malum inclinant, vel animum percurbant, & ad Dei obsequium tardiores reddunt, ipsūque intellectum obnubilare solent.

IV. Hujus Divinationis species est Augurium.

24. Quarta Divinationis species fit per avium, piscium, aut aliorum animalium observationem; & dicitur *Augurium*. Hæc futuros liberos eventus, vel casus merè fortuitos, enuntiat è volucrum volatu, aut cantu, vel ex piscium motu, animalium occursum, voce, & similibus; ac prohibetur à S. Litteris sæpius, præsertim locis *num. 21.* allegatis. Quo tamen non obstante, ex avium volatu, piscium in mari occursum &c. possunt naturaliter colligi pluvie, serenitates, tempestates, & hujusmodi effectus naturales, quos animalia citius præsentunt, quàm homines.

Et V. Sortilegium.

Sortes divinatorie, &

25. Quinta species Divinationis est per sortes (& dicitur *Sortilegium*) quæ eventus futuros, vel veritatis occultæ manifestationem, explorat per sortes. Est autem triplex genus sortium, nempe divisorium, consultorium, & divinatorium. *Sortes divinatorie* sunt, quæ applicantur ad dividendas hæreditates, ad litem dirimendam, ad honestum lusum &c. & hæc per se malæ non sunt, sed sæpè bonæ ac utiles, juxta illud Proverb. 18. *Contra-*
ditio

ditiones comprimit fors, & inter potentes quoque dijudicat. Porro Sortes consultoriae sunt, quibus à Deo postulatur occulta veritatis manifestatio, vel consilij directio: istae etiam non sunt prohibitae; si Dei jussu & instinctu fiant; de quibus dicitur Proverb. 16. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Tandem Sortes divinatoriae sunt, quibus absconditae veritatis notitia, vel consilij directio, non à Deo, & consequenter à dæmone expressè, vel tacitè, imploratur. Et hae superstitiosae, illicitae atque prohibitae sunt; prout habetur can. Sortes, 26. q. 5. cum concordantijs: quia continent expressam, vel tacitam dæmonis invocationem. Unde merito cap. 1. & 2. tit. de Sortilegijs, sub gravibus pœnis prohibetur, ne per sortes inquiratur auctor furti, vel quid imposturum futurum sit: & similiter cap. ult. eod. tit. generaliter sortium usus in Electionibus ad Beneficia Ecclesiastica damnatur.

Sortes consultoriae sunt licitae; Sortes divinatoriae illicitae.

26. Nec obstat, quòd peccatum Achor sorte deprehensum legatur Josue 7. & Jonas sorte deprehensus fuerit, Jonæ cap. 1. Item Jonathas mel degustans, 1. Reg. 14. imò & Saul missis sortibus in universas Tribus Israël electus in Regem, 1. Reg. 10. & hujusmodi. Resp. enim, quòd talia ex speciali jussu, aut instinctu Dei facta credantur: non tamen idcirco sortibus indifferenter est credendum, cum privilegia singulorum non possint legem facere communem, ut dicitur c. Non statim. & c. Non exemplo, 26. q. 2.

Solvitur instantia ex nonnullis exemplis adducta.

27. CONCL. III. Divinatio, & quaelibet praedictarum species, est ex genere suo peccatum mortale, sive fiat cum expressa, sive cum tacita dæmonis invocatione. Ita communis; & patet ex dictis (c) quia Divinatio importat consortium, & servitutem cum dæmone, perpetuo Dei hoste; ac ipsum homo tacitè honorat, ejusque disciplinae sese subjicit, ab eodem occulta vel futura edocendus.

Divinatio quaelibet est peccatum mortale. (c) Supra num. 17.

28. Hoc tamen intelligendum, si Divinatio serio fiat, & cum firma fide. Quòd si verò joci causâ quis ostendat, se velle futura divinare, interim credens, totum esse futile & inane, communiter Doctores censent, talem non incidere in culpam gravem; cum sit potius quaedam vanitas, quam superstitio, ut ait Bonacina disp. 3. in Decalog. q. 5. p. 3. num. 18. & 19. Ubi etiam somnia, sortes &c. à mortali excusat, si quis per simplicitatem (quod in mulierculis facilis locum habet) illis fidem praestet: ut quando ex ruditate putat à Deo esse, vel tenuiter credit. Hoc modo multae vanae, atque inutiles observationes, v. g. ex sternu-

Dummodo serio & firmâ fide fiat; alias seculi.



tatione, vulturis occurfu, corrigiæ ruptione, & hujusmodi vanitates, excusari possunt à culpa mortali; quia non firma fides, sed vana tantum formido eis tribuitur.

QUÆSTIO IV.

De vana Observantia, ejusque speciebus, & gravitate.

Vana Observantia, quid?

29. **C**ONCL. I. *Vana Observantia* est superstitio, qua adhibentur media inutilia ad aliquid præstandum, vel impediendum, ad quod à Deo vel natura nullam virtutem habent: uti contingit, quando quis medijs inutilibus contendit acquirere bona temporalia, sanitatem, vel scientiam; aut quando aliquibus verbis intendit alligare dæmonem, eumque includere in annulo, vase; aut cum quis mittit chirographum animalibus noxijs, vel eis litem mover, ut illa expellat; aut cum quis certis schedulis, vel verbis, à globorum ictibus immunem sese reddere satagit, & hujusmodi. Ita Doctores communiter.

Et quomodo distinguatur à Divinatione?

30. Cæterum dicta vana Observantia distinguitur à Divinatione, quod hæc circa speculativam occultorum, aut futurorum effectuum cognitionem versetur; illa verò ad opus aliquod præstandum, vel impediendum tendat, utputà ad obtinendam corporis sanitatem, thesauri absconditi inventionem, & quidem per pactum aliquod cum dæmone, ut dictum est.

Ejus tres sunt species; quæ?

31. **C**ONCL. II. Vanæ Observantiæ tres sunt species, nempe *Ars notoria*, *Observantia sanitarum*, & *Observantia eventuum*; ad quas species cæteræ sunt revocandæ, sive cum expressa, sive cum tacita, seu implicita dæmonis invocatione fiant. Ita rursus communis; idque amplius patebit ex dicendis discurrendo de singulis. Unde fit

Ars notoria, quid?

32. **C**ONCL. III. *Ars notoria* est, cum per preces quasdam verborum ignotorum, inspectiones certarum figurarum, & alia hujusmodi media prorsus inutilia, expectatur scientia infusa quarundam rerum absque alio labore. Hac arte utuntur Anabaptistæ, dum sumpto poculo suæ Cœnæ in instanti aliquando scripturarum antea omnino ignotarum scientiam consequuntur, dæmone indubiè eam suggerente, vel per os ipsorum loquente, ipsosque sic dementante, ut s. Scripturas se intelligere putent.

33. **C**ONCL.

33. CONCL. IV. Observantia sanitarum est superstitio, qua Observantia sanitarum, quid?
adhibentur media inania & inutilia ad sanandos morbos hominum, vel brutorum: ut contingit, dum ad sanitatis conservacionem, recuperationem, vulnerum sanationem, dolorum mitigationem, ab hostibus, globorumque ictibus protectionem, atque immunitatem, & hujusmodi, adhibentur verba, signa & cæremonia, quæ nec ex Divina institutione, nec à natura ad id vires ullas habent. Ita passim Doctores. Sed quia res quàm plures habent varias virtutes naturales, non rarò hominibus ignotas, hinc

34. Quæres, quo pacto dignosci possit hæc species vanae Observantia? Resp. cum Filiucio *tomo 2. disp. 24. c. 6. n. 158.* & aliis, id potissimum ex sequentibus circumstantiis agnosci posse. I. Si adhibeantur verba ignota, aut characteres ignoti: talia enim implicite referuntur ad dæmonem ea instituentem, atque intelligentem. II. Si inferantur aliqua falsa, apocrypha, aut minus certa: ut quòd Christus habuerit febres, spasmodum, &c. III. Si causa applicetur improporcionata ad effectum, vel in loco valde distanti à passo. Idem dicendum de ijs, qui adhibent verba, signa, cæremonias, imagines astronomicas, & similia, ad obtinendam sanitatem, ad quam tamen procurandam nullam ex se vim habent: unde necesse est, quòd hanc habeant aliunde; non quidem à bonis Angelis, vel à Deo, cum id legitime non constet, imò per Prælatos Ecclesiæ prohibeatur, atque per Theologos & Concionatores concorditer negetur; ergo eam haberi ab arte diabolica, præsumendum est. Et ex his regulis innumerè casus in praxi possunt resolvi, quorum plurimos refert Gobat *trakt. 11. Theol. Experimentalis, parte 4. de Superstitionibus.*

35. CONCL. V. Observantia eventuum, quæ est tertia species vanae Observantia eventuum, quid?
Observantia, contingit, quando fortuito aliquid accidit vel occurrit, ex quo homo sibi, vel alteri aliquid prosperi, aut adversi conijctat, indeque suas actiones moderatur: ut si v.g. egredienti domum occurrat lepus; aut is picam picitantem audiat, & inde malum sibi augurium præfagiens, domum revertatur. Hæc vana Observantia species Divinationi, *Quest. præced. explicata*, valde vicina est: differt tamen ab ea per hoc, quòd in ista vana Observantia principaliter intendatur directio operationum, & quidem ex signis fortuito occurrentibus, aut incidentibus; in Divinatione autem signa ex proposito quærantur, & adhibeantur, & quidem eâ principaliter intentione, ut noticia acquiratur futurorum, aut occultorum.

Vana Ob-
servantia,
omnesque
species ejus
sunt peccati
mortale.

36. CONCL. VI. Hastenùs explicata vana Observantia, & singulæ tres ejus species, ex genere suo sunt peccatum mortale. Ita omnes Doctores. Ratio est clara: quia continent aut expressam, aut saltem implicitam societatem, pactumque cum dæmone, ejusque auxilij invocationem, utpote à quo vel scientiæ infusio, vel curatio morborum, aut operum nostrorum directio expectatur.

Nisi excuset
ignorantia
&c.

37. Addunt tamen Bonacina *cit. disp. 3. q. 5. p. 4.* Lessius, Valentia, Sanchez, Herincx, alique communiter, homines simplices sæpiùs à peccato mortali excusari ratione ignorantia, aut bonæ fidei, quia nihil mali in his contineri putant: cum ab hujusmodi hominibus non tam facilè semper illud apprehendatur. Insuper tradit Filliucius *disp. 24. num. 161.* etiam peccatum tantùm veniale committi, si id fiat ex intentione dandi operam ejusmodi vanitatibus, non tanquam efficacibus, sed ex quadam levitate: ut si quis semel annulum moveri sinat super filum, idque joco faciat, & ad experiendum effectum causâ curiositatis.

Licitum ta-
men est, ge-
stare Agnos
Dei, Cruces
&c.

38. CONCL. VII. Nihilominùs licitum est, gestare Agnos Dei, Evangelium S. Joannis, Cruces benedictas, & hujusmodi res spirituales atque sacratas, ad sanitatem recuperandam, vel contra maleficia præservandam, similisque effectus consequendos. Ita D. Augustinus *Tract. 7. in Joannem*, & tenent Catholici unanimiter: dummodò talia debita cum reverentiâ atque fiducia in Deum gestentur, & nulla conditio superstitiosa superveniat propter adjunctam spem in modo scribendi, portandi, appetendi, aut aliâ loci vel temporis inani observatione, ad Divinum cultum, reverentiâque, minimè pertinente.

Consuetu-
dines ali-
quid faciē-
di, vel omit-
tendi cer-
tis Festis,
an dam-
nandæ?

39. Utrùm autem damnandæ, vel excusandæ sint quædam consuetudines, quibus nonnulli aliquid facere, vel omittere solent certis diebus Festivis, distinguendum est. Si enim hæc faciant, ut se magis excitent ad precandum propter diem Sancto dedicatum, vel propter affectum, quem specialiter habent erga Sanctum, à quo opem & auxilium sperant, non committitur Superstitionis peccatum, saltem secluso scandalo, & aliâ pravâ intentione. Item non est superstitiosum, notare tempora, vel dies, quibus major vel minor influxus cælorum reperitur, seti quæ aptiora v. g. sunt ad certas herbas medicinales colligendas, atque ad sciendenda ligna, vel ad evitandam rerum corruptio-
nem

nem, &c. Hoc enim non excedit vires naturæ, atque quotidianâ experientiâ comprobatur.

40. Tandem, quando rationabiliter dubitatur, an effectus sit à causa naturali (multa enim sunt secreta naturæ, virtutesque arcanæ, doctissimorum etiam quandoque virorum ingenia subterfugientes.) Quando, inquam rationabiliter dubitatur, an hujusmodi effectus excedat vires causæ naturalis, præsumendum est, provenire à causa naturali. Bonacina *cit. q. 5. punct. 2. n. 9.* citans Lessium, Suarez, Sanchez, Layman, & alios. Ratio est: tum quia dubium explicandum est in mitiorem partem: tum quia multæ res naturales admirabili præfulgent virtute, plerisque etiam viris doctis incognitâ.

Quid in dubio, num effectus excedat vires causæ naturalis?

41. Quamobrem excusandi sunt illi, qui hujusmodi res, de quarum virtute naturali dubitatur, ad expellendum morbum adhibere intendunt, dummodò protestationem præmittant, adhibere intendunt, dummodò protestationem præmittant, nolle se effectum consequi, si aliqua subsit virtus ex quocunque pacto diabolico, & superstitioso. Secus dicendum, quando palam est, effectum excedere vires causæ naturalis; ac proinde certo, vel ferè certò constat, actum hujusmodi esse superstitiosum, seu rem vanam, & inutilem esse ad talem effectum: tunc enim subest malitia Superstitionis, cum adhibeatur medium inutile ad illum effectum. Neque in tali casu, ubi constat certò de inefficacia mediorum, prodest protestatio, cum sit contraria factio: nisi fortè id fiat aliâ intentione, nempe ad convincendum & confundendum dæmonem, non ad experiendum effectum.

Protestatio, quando excuset?

QUÆSTIO V.

De Magia, & Maleficio, aliisque huc attentibus.

42. Sciendum, quòd Magia communiter duplex distinguatur, una naturalis, & altera superstitiosa, seu diabolica. *Magia naturalis, naturalis est ratio quædam operandi mira, per causas naturales absque dæmonis opera. Hanc Magiam, etsi de se mala non sit, tamen ut periculosam, & sensim ad superstitiones manu-ducentem, passim censent Doctores esse cavendam: quia ingenia humana rebus curiosis & inutilibus implicat, magisque semper*

Magia naturalis, quid?

Est periculosa.

per curiosa reddit, & successivè ad Magiam superstitiosam inducit. Unde meritò Lessius *lib. 2. de just. & jure, cap. 44. num. 1.* omnes libròs, qui Magiam naturalem tradunt, suspectos habendos esse, & tanquam periculosos, præsertim juventuti, vitandos asserit.

Magia superstitiosa, quid?

43. *Magia superstitiosa* (quam alij *Diabolicam* appellant, & de qua solum hic agitur) est ratio quædam operandi mira per signa ope dæmonum: sicut enim *Magia naturalis* utitur caulis naturalibus, ita *Magia superstitiosa* utitur nonnullis signis, quibus ex pacto quodam allicitur dæmon, ut faciat id, quod Magus vult.

Duplex ejus finis.

44. Porro *Magia superstitiosa* duplex est, seu potius duplicem habet finem. Primus finis ejus, est propria ostentatio aliudve commodum suum, aut alienum: sic communè nomine vocatur *Magia*; nam *Magia* propriè est ratio quædam operandi mira ope dæmonum.

Magia proprie, Maleficium, vel Veneficium, quid?

Alter finis ipsius, est noxa alicui inferenda; & proprio nomine dicitur *Maleficium*, vel *Veneficium*. *Maleficium* quidem, si noxa inferatur incantationibus, seu carminibus, characteribus, aliisque hujusmodi signis, ex pacto cum dæmonè into. *Veneficium* verò, quando malis pharmacis, sive venenis id fit; quamvis nonnunquam etiam Incantatores appellentur *Venefici*.

Magia, & Veneficium est peccatum mortale. Et habet annexa multa alia peccata.

45. CONCL. I. *Magia*, sicut & *Veneficium*, ac *Maleficium*, ex genere suo est peccatum mortale, utpote continens expressam vel tacitam dæmonis invocationem, ac proinde societatem & benevolentiam erga illum. Ita omnes Doctores. Quinimò *Magia* ordinariè multa alia peccata annexa habet; ut sunt hæresis, abnegatio Dei & Sanctorum, idololatria, blasphemia in Deum & Sanctos, profanatio & abusus rerum sacrarum, maxime Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti, luxuria, & nefariæ cum dæmone commixtiones, &c. Ea insuper inferre solet maxima damna in bonis temporalibus proximorum, homicidia præsertim infantium, mortes animalium, vastationes segetum, & hujusmodi. Ex quibus, aliisque similibus effectibus, colligere licet immanitatem hujus criminis, meritò juxta Reges etiam Civiles ignibus plectendi. Sed occasione præmissorum

Remedia Maleficiorum alia, moralia,

46. Quæres I. Quænam remedia adversus *Maleficia* sint adhibenda? Resp. Remedia *Maleficiorum* quædam sunt naturalia, quædam supernaturalia, & quædam moralia. Horum postrema sunt ea, quæ pertinent ad pactum cum dæmone dissolvendum, quando ex pacto nocet; quod fit amovendo signa *Magica*,

gica, ad quorum praesentiam diabolus nocentum infert; de quo mox plura num. 49. & seqq.

47. Naturalia remedia Maleficiorum plerumque parvam vim habent, quia diabolus facile omnem illorum actionem eludit, si velit, & a Deo permittatur. Bonum tamen est, illa ab initio experiri, juxta praescriptum Medicorum, seu quae ipsi magis congrua judicabunt. Alia naturalia,

48. Supernaturalia, seu spiritualia, atque Ecclesiastica remedia Maleficiorum sunt optima, & horum decem numerantur cum Lessio cit. cap. 44. num. 28. Bonacinâ, Reginaldo, & alijs. I. Magna fides & fiducia in Deum, seu Divinam protectionem. II. Susceptio Baptismi, si quis nondum est baptizatus. Vel III. loquendo de baptizatis, Confessio Sacramentalis peccatorum: saepe enim ob peccata permittitur diabolo potestas in hominem, quibus per veram poenitentiam, vitæque emendationem deleris, hæc quoque evanescit. IV. Sumptio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti. V. Exorcismi Ecclesiae, quorum maximam esse vim probat praxis, atque ordinatio Ecclesiae, cujus nomine fiunt, ipsaque quotidiana experientia. VI. Aqua benedicta: hæc enim habet vim ex precibus Ecclesiae ad avertendas dæmonis infestationes. VII. Reliquiae Sanctorum, Agnus Dei, Cerei sacri, Panis & Sal benedictum, & similes res ab Ecclesia benedictæ, ob praallegatam rationem. VIII. Signum S. Crucis, cujus vis maxima est contra omnes diaboli machinationes. IX. Invocatio Sanctissimi Nominis JESU, B. MARIE Virginis, Sancti Angeli Custodis, & aliorum Sanctorum. X. Oratio, praesertim conjuncta jejunio, ut patet ex verbis Christi, *Matth. 17.* Et alia supernaturalia, quæ?

49. Quæres II. An liceat tollere signa Magica, v. g. ligaturas, nodos, volumina capillorum &c. eo fine, ut diabolus nocere desinat? Resp. I. Certum est, & fatentur omnes, si nullum novum adhibeatur Maleficium, hujusmodi signa licite posse tolli; idque tum in contemptum diaboli, atque Magicae superstitionis; tum in odium facinoris, quo Maleficus ea posuit veluti testeram sui pacti cum dæmone. Ratio clara est: quia sic solummodo everruntur opera diaboli, ejusque atque Malefici impietas execratur. Et hoc quidem licitum est, facere etiam eâ intentione, ut dæmon nocere desinat: quia ejusmodi amotio signorum (secluso novo Maleficio) non est invocatio dæmonis ex natura rei, sed potiusaversio prioris pacti per Maleficium cum Cacodæmone initi, & Licitum est tollere signa Magica, ut diabolus nocere desinat.



destructio operum diaboli. Et in hoc sensu loquitur Doctor Subtilis 4. dist. 34. quest. un. dicens, quòd ridiculum sit quærere, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: non enim (inquit) solum licet, sed est meritorium, destruere opera diaboli.

Dummodo
id fiat ab-
que novo
Maleficio.

50. Resp. II. Nihilominus non licet tollere Maleficium, vel signa Magica per novum Maleficium; neque hoc à Malefico scienter petere, quamvis hic sese paratum offerat. Ita certa, & communis. Ratio est: quia adhibitio novi Maleficij est intrinsecè mala, cum sit usus artis Magicæ, & tacita vel expressa dæmonis invocatio ad aliquem effectum obtinendum; ac proinde nullo modo benè fieri potest, neque peti, neque ut id fiat, assensus præberi, juxta illud Apostoli Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Solvitur in-
stantia.

51. Nec dicas. Licitum est petere pecuniam ad usuram ab usurario parato dare; item exigere juramentum ab eo, qui paratus est per falsos deos jurare: ergo etiam licitum erit, alterius, qui ad id paratus est, incantatione & Maleficio uti ad amovenda à nobis vel alijs Maleficia. Resp. enim negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est: quia id, quod in dictis casibus petitur, nempe pecunia mutua, vel juramentum, ex se malum non est, & benè fieri potest, si velit is, à quo petitur, ut dictum superius (c) Secus est in nostro casu, ubi Maleficium (juxta Hypothesin) non nisi per novum Maleficium tolli potest.

(c) *Tract.*
4. *Dist.* 7.
num. 27.

Quid agen-
dum Con-
fessario cum
Malefico
pœnitente?

52. Quæres III. Quid agendum Confessario cum Malefico pœnitente? Resp. cum Bonacina *disp. 3. in Decalogum, quest. 5 punct. 5. num. 11.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 40. n. 52.* & alijs, ante omnia inquirendum esse, an Maleficus inierit pactum cum dæmone: id siquidem tenetur Maleficus in primis dissolvere. Videtur autem ejusmodi pactum sufficienter dissolvi per veram ac sinceram de suis peccatis actam pœnitentiam, ex puro corde peccata detestando, ac dæmoni renuntiando, & toto affectu Dei misericordiam implorando.

Maleficus
pœnitens
non tenetur
curare sibi
chyrogra-
phum à dæ-
mone resti-
tui.

53. Non tamen necesse est, ut Maleficus pœnitens curet sibi chyrographum à dæmone restitui: quia per veram pœnitentiam sufficienter recedit à pacto. Sanchez *cit. cap. 40. num. 53.* Suarez, Candidus Brognollus, & alij. Quòd si verò ipsemet Maleficus apud se habeat chyrographum, vel ejus exemplar (regulariter enim, ut notat Candidus Brognollus Bergomensis, in *Manuali Exorcistarum, part. 1. cap. 2. art. 3. §. 10.* cum aliquis homo Deo abrenuntiat, ac dæmoni se devovet, solent duo fieri chy-

rogra-

rographa, vel si quis scribere nesciat, alia duo signa confici, quorum unum apud dæmonem conservatur, alterum apud Magum, vel Maleficum) tunc is tenetur alterum, quod penes se habet, perfringere, aut ipsimet Confessario tradere: idque partim in detestationem criminis; partim, ut exterius testetur internam, ac perfectam dæmoni abrenuntiationem, sinceramque in Deum conversionem. Alioquin enim, si huiusmodi externum signum, quod penes se habet, nollet Maleficus destruere, adhuc eo ipso pergeret, internum voluntatis actum in dæmonis obsequium proferri.

54. Secundò debet Confessarius inquirere à Malefico, an commiserit illa enormia peccata superius *num. 45.* recensita, vel alia huiusmodi: quibus intellectis, debito modo procedat, prout cæteròquin necesse est ad Confessionem Sacramentalem.

55. Tertiò, si aliquid ope diaboli Maleficus acquisitum haberet, quod cuiusdam tertiæ personæ esse cognosceret (puta, quia hunc à diabolo sublatum, & Malefico traditum fuit, prout sæpè contingit) illud domino suo erit modo competenti restituendum, sicuti in rebus furto ablati fieri debet. Si verò aliunde, utputà ex occultis thesauris, aut ex rebus in mari totaliter deperditis, eam rem diabolus habuerit, Magòque tradiderit; ex eadem personis illis Magus satisfacere tenebitur, quibus fortassè damna in rebus suis familiaribus, aut animalibus intulit. Et hoc idem dicendum, si Magus haberet aliunde, unde damna illata resarcire possit: nam restitutio rerum iniuste ablatarum, & aliorum damnorum illatorum recompensatio, erit necessariò facienda, nisi impotentia excuset, prout aliunde constat.

56. Quartò, ne Maleficus poenitens iterùm seducatur, & ad vomitum redeat, simulque ut is à dæmoniacis divexationibus, non rarò redituris, magis magisque præferatur, eundem Confessarius muniat remedijs spiritualibus, nimirum Agnis Dei, aut alijs rebus consecratis ipsi communicatis; simulque eum exhortetur ad crebrò eliciendos actus Virtutum Theologicarum, atque ad meditationem Dominicæ Passionis, detestationemque suorum gravissimorum peccatorum, nec non & aliarum Virtutum exercitium, præsertim verò ad frequentiorè Sacramenti Poenitentiae, atque Eucharistiae receptionem. Quin etiam poterit quandoque Confessarius adhibere Exorcismos convenientes, quales pro huiusmodi hominibus tum in Ritualibus Diocesanis, tum in alijs. Benedictionum Libellis passim reperiuntur.

Benè tamen
rumpere
aliud, si
quod penes
se habet.

Alia tunc à
Confessario
observanda.

Quid agen-
dum circa
bona Male-
fico per dia-
bolum data?

Quomodo
is manien-
dus contra
relapsum?

DISTINCTIO III.

De Vitijs Religioni oppositis per defectum.

QUÆSTIO I.

De Tentatione Dei.

1. **U**T patet ex dictis *Distinct. preced. num. 1.* alia Vicia opponuntur Religioni per excessum, alia per defectum; Vis itaque hæctenus prioribus, pergendum ad posteriora, quorum omnium genus est *Irreligiositas*, quæ est defectus cultus Deo debiti. Porro sub *Irreligiositate*, tanquam species sub suo genere, continentur Tentatio Dei, Sacrilegium, Simonia, Blasphemia, Perjurium, atque violatio Voti; de quorum quatuor prioribus in præfenti *Distinctio*ne, de alijs duobus in sequenti *Tractatu* dicetur. Et quidem, ordiendo à materia præfentis *Quæstionis*;

Irreligiositas, quid, & quæ vitia sub se continentur?

Tentatio alia probationis,

Alia seductionis.

Tentatio Dei, quid?

2. Tentatio generatim, est dictum, vel factum, ad capiendum de aliquo experimentum, ut sciatur, quantæ sit potentia, prudentia, scientia, & hujusmodi. Et hæc dicitur *Tentatio probationis*, seu experimenti: quo modo Deus dicitur tentasse Abraham, Job, Tobiam, & alios Sanctos, dum immisis adversitatibus eorum obedientiam, patientiam, atque in alijs virtutibus constantiam experiri voluit. Est & alia, quæ dicitur *Tentatio seductionis*, seu inductionis ad peccatum: quo modo diabolus tentat homines, dum eos ad malum seu peccatum incitat. In proposito sumitur Tentatio priori modo, & quidem in malam partem, quatenus nimirum homo iniquè tentat Deum, volens aliquam ejus perfectionem experiri: de qua loquendo, sic

3. **CONCL. I.** *Tentatio Dei* est actus Religioni oppositus, quo quis absque justa causa dicit, aut facit aliquid, ad capiendum experimentum de Divina quapiam perfectione; utputà de Potentia, Sapientia, Justitia, alijsve Dei Attributis. Ita Herincx *disp. 8. de Relig. quæst. 1.* Lessius, estque in re communis. Dicitur, *actus Religioni oppositus*: quia est quædam Dei irreverentia, velle de per-

perfectionibus ejus experimentum sumere absque justa causa, & relictis medijs ordinarijs à Deo institutis. Et additur, *absque justa causa*; quia si talis adit, non erit Tentatio: ut si fiat ex Divino instinctu, vel si quis habeat Donum miraculorum, aut sanitarum; vel si honor Dei, atque defensio Religionis postulet aliquod opus, ad quod tale experimentum est necessarium. Porro per experimentum Divinae perfectionis, intelligitur omne extraordinarium opus, vel auxilium Dei supra communem rerum ordinem praestandum, quo Divina Potentia, Sapientia, Justitia &c. quasi experientia ipsa cognoscatur.

4. CONCL. II. Tentatio Dei potest fieri dupliciter, expressè ^{Est duplex,} scilicet, vel interpretativè. Ita communis. Et quidem Tentatio ^{expressa & interpretativa.} Dei expressa tunc accidit, quando aliquid fit directè eâ intentione, ut experimentum capiatur de quadam Dei perfectione; ut si te proicias in puteum, experturus, an Deus te sinat submergi, vel an possit te salvare. Interpretativa tentatio Dei contingit, quando quis non intendit explicite tale experimentum de Divina perfectione, facit tamen aliquid ob finem alium, quod ex se requirit extraordinarium Dei auxilium, illudque temerè exspectat: ut si quis totâ Quadragesimâ velit cibo & potu abstinere ad Christi exemplum, persuasus, Deum vires praebiturum (nisi id fieret ex speciali instinctu Divino) aut si alicui alteri periculo absque necessitate se committat, à quo sine extraordinario auxilio Dei, quod temerè exspectat, liberari nequit. Huc etiam pertinent Purgationes vulgares, de quibus *num. 6.*

5. CONCL. III. Tentatio Dei, prout fit absque justa causa, regulariter loquendo, atque ex suo genere, est peccatum mortale. Ita Doctores communiter. Ratio est: tum quia adversatur excellentissimæ inter Morales Virtuti Religionis, & consequenter ex suo genere est peccatum mortale. Tum quia vel tentando Deum quis est incredulus, aut dubius de aliqua ipsius perfectione, & consequenter praeter malitiam Infidelitatis irrogat Deo gravissimam injuriam; prout fecerunt olim perfidi Judæi, de quibus dicitur Psalm. 77. *Tentaverunt Deum in cordibus suis, dicentes: Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* Vel tentans petit à Deo auxilium extraordinarium sine justa causa, quod arguit gravem audaciam, sicque irreverentiam erga Majestatem Divinam, quæ Ter sanctè, simulque humiliter ac reverentialiter est tractanda: atque insuper est istud contra sapientissimam Dei ordinationem, qua voluit servari ordinem

naturalem, neque absque necessitate eundem invertendum statuit. Unde Christus dæmoni, præcipitum è Templi pinnaculo, unde tamen per scalas descendere poterat, suggerenti respondit: *Matth. 4. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Purgationes
vulgares
sunt prohi-
bitæ.

6. Hinc mortaliter peccaminosa est omnis illa Tentatio, qua tentans Deum, absque alia necessitate committit se aperto periculo vitæ; utputa projiciendo se in ignem, aut præcipitando ex turri, interim putans, Deum esse ipsum salvaturum. Huc etiam spectant *Purgationes vulgares* (sic dictæ, quòd nullo jure, sed populari inventionem, & fabricante sunt omnino sicut invidia, c. *Mennam. 2. q. 5.*) quales olim fieri consueverant ferventis sive frigida aquæ, ignisque ferri contactu, & hujusmodi, in quibus expectabatur incolumitas à Deo extraordinarie præstantia innocenti; quæ meritò reprobantur à Jure Canonico *cit. c. Mennam. & e. Omnibus. & c. Consulisti. 2. q. 5.* Item Purgationes, quæ duello fiunt, in quo expectatur, ut Deus tueatur partem innocentem; quod itidem damnatur *can. Monomachiam. 2. q. 5. & cap. 1. ac seqq. de Purgat. vulgari; & in Concilio Trid. Sess. 25. cap. 29. de Reform.*


Solvitur in-
stantia.

7. Nec obstat, quòd Deus olim videatur quandoque hujusmodi Purgationibus miraculo favisse. Resp. enim, id factum esse vel ob simplicitatem illius sæculi, atque antequàm tales Purgationes fuerunt publicè ab Ecclesia damnatæ: vel quia innocentes suspecti ad eas adhibendas cogebantur. Lessius *lib. 2. cap. 13. num. 4.* Quandoque tamen effectus non respondebat, de quo refertur insigne exemplum *cap. 2. de Purgat. vulgari.*

Tentatio
Dei per ac-
cidens potest
esse venia-
lis.

8. Dicitur nihilominus in Conclusionem, regulariter loquendo, ad denotandum, quòd Tentatio Dei aliquando per accidens possit esse peccatum veniale. Et hoc contingit vel ratione inconsiderationis, aut ignorantia non crassa; vel ratione parvitatis materiæ, aut periculi; ut quando quis levi morbo affectus, vanè sperat sanitatem à Deo relictis medijs ordinarijs.

Bonacina cit. disp. 3. quest. 9. num. 6.
& alij.



QUE.

Q U Æ S T I O II.

De Sacrilegio, & quale sit peccatum;

9. **S**acrilegium, quod à *sacris legendis*, id est, suffurandis sic dicitur, proprie accipitur pro violatione, seu indigna tractatione rei sacræ; sive pro injuria ac irreverentia illa, quæ inferitur Deo per indignam tractationem rerum sacrarum. Et de hac loquendo, sit

10. **CONCL. I.** Sacrilegiorum universim tres sunt species: aut enim Sacrilegium fit contra Personam sacram, aut contra Locum sacrum, aut contra Rem sacram. Ita Doctores communiter; & ratio est: quia generatim etiam tria sunt genera rerum sacrarum, videlicet personæ, loca, & res aliæ ad Divinum cultum ordinatæ.

11. Porro ad primam Sacrilegij speciem, qua violatur Persona sacra, pertinet percussio Clerici; fornicatio Ordinis sacri initiati, sive Religiosi, aut Religiosæ, & cujuslibet Votum Castitatis habentis. Huc addunt Doctores pertractionem personarum Ecclesiasticarum ad Tribunal sæculare, earundem incarcerationem, & hujusmodi, ut potè quibus indignè tractantur personæ Deo sacratæ.

12. Ad secundam speciem Sacrilegij pertinent omnia, quæ fiunt contra sanctitatem Loci sacri: ut sunt destructio malitiosa Loci sacri, everfio Altarium, injuriosa effusio sanguinis, vel seminis humani in Loco sacro; item, si confugientes ad Locum sacrum, tanquam ad Asylum, per vim inde extrahantur, & hujusmodi.

13. Ad tertiam Sacrilegij speciem pertinent ea peccata, quibus aliæ Res sacræ temerantur, seu injuriosè tractantur. Dicuntur autem Res sacræ imprimis Sacramenta; deinde Vasa sacra, Vestesque benedictæ, Reliquiæ Sanctorum, Dei ac Sanctorum Imagines; & denique ea omnia, quæ adhibitis certis precibus, ac Ritibus Ecclesiasticis sunt consecrata, & pertinent ad cultum Divinum, atque ministerium Ecclesiasticum. Insuper ad hanc tertiam Sacrilegij speciem spectat abusus Sententiarum Sacrarum Scripturæ ad superstitiones, ad stabiliendas hæreses, ad amatoria, fabulosa, vana, scurrilia, adulationes, detractiones, libellos famo-

*Sacrilegij
quid?*

*Ejus tres
sunt species.*

*I. Qua vio-
latur Perso-
na sacra.*

*II. Qua lo-
cus sacer.*

*Et III. Qua
aliæ Res sa-
cræ violan-
tur.*

*Huc spectat
abusus Sen-
tentiarum
S. Scriptu-
rarum.*

famosos, & hujusmodi : quam quidem temeritatem graviter inhibuit Concilium Trid. *Sess. 4. in Decreto de Editione, & usu sacrarum Librorum*; atque omnes hujus generis homines, seu violatores, ac temeratores Verbi Dei, juris & arbitrij poenis, per Episcopos coërceri præcepit.

Sacrilegium est ex genere suo peccatum mortale.

14. CONCL. II. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale. Ita communis : nam opponitur excellentissimæ inter Morales virtuti Religionis. Sic quippe certum est, esse peccatum mortale, quando Sacrilegium fit in contemptum Rei sacræ ; prout solent facere Hæretici, cum Vasa sacra, Imagines Dei ac Sanctorum, & hujusmodi profanant, & vastant. Similiter constat, committi peccatum mortale Sacrilegij, quando fit aliquid voluntariè ac deliberatè in materia gravi, quod habet peculiaris repugnantiam cum sanctitate Rei sacræ : ut est percussio Clerici, item peccatum carnis cum persona Deo sacrata, vel ab eadem persona sacra commissum, &c. Quia talia notabiliter contraveniunt sanctitati Rei sacræ, eique gravem inferunt irreverentiam.

Clerici, & Religiosi, à quibus abstinere teneantur ratione Voti Castitatis ?

15. Ubi sciendum, quòd Religiosi Professi, aut Clerici in sacris constituti, ratione Voti Castitatis teneantur abstinere ab omni deliberata venerea delectatione; actûque tum interno, tum externo, qui est contra Castitatem : uti sunt non solum fornicatio, aut alius actus venereus, sed etiam turpes cogitationes, delectationes morosæ, aspectus impudici, vel tactus obscæni &c. Unde quidquid in sæcularibus extra conjugium est aliquo modo peccatum contra Castitatem, id in Religiosis, & Clericis memoratis etiam est Sacrilegium ratione Voti, adeoque habet duplicem malitiam : ita tamen, ut malitia Sacrilegij sit mortalis in ijs actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis ; venialis verò, in quibus illa est venialis, prout non rarò contingit ratione imperfecti voluntarij. *Lessius lib. 2. cap. 41. num. 78. Sylvester, Layman, & alij.*

Sacrilegium per accidens fit quandoque peccatum veniale.

16. CONCL. III. Nihilominus per accidens quandoque Sacrilegium potest fieri peccatum veniale. Ita communis. Sic imprimis accidit, quando irreverentia Rei sacræ illata, est duntaxat levis : prout fieri potest in aliquali inhonoratione, aut dilaceratione Imaginum secluso contemptu, in levi abusu sacrarum Vestium ad profanos usus, in allegatione cujusdam Sacræ Sententiæ ad jocum ; & idem dicendum de alijs hujusmodi levioribus irreverentijs erga Res sacras, quæ non excedunt peccatum veniale.

seclu-

secluso contemptu, propter parvitatem materiæ, seu irreverentia committæ. Similiter erit peccatum veniale tantum, & quandoque nullum, si irreverentia aliqua fiat Rei sacræ ex inadvertentia, in deliberatione, aut ignorantia non crassa, vel invincibili: hæc enim à peccato mortali excusat in omni materia.

17. Tandem notandum cum Herincx *disp. 8. de Relig. quest. 2. num. 12.* & alijs, non omne peccatum à Persona sacra, vel in Personam sacram commissum, esse Sacrilegium propriè & formaliter; sed illud tantum, quod directè committitur contra sanctitatem Personæ. Hinc inebriatio, superbia, mendacium, ac hujusmodi, si committantur à Persona sacra, non sunt Sacrilegia. Similiter neque ira erga Personam sacram habita, citra corporalis injuriæ illationem, est Sacrilegium: cum talia directè non repugnent ejus sanctitati, benè tamen percussio corporalis ipsius.

Non omne peccatum à Persona sacra commissum, est Sacrilegium.

QUÆSTIO III,

De Simonia.

18. Simonia à Simone Mago nomen, atque in Lege Evangelica originem traxit, non obstante, quòd jam in Lege veteri à Balaam *Num. cap. 22.* & à Giezi *lib. 4. Regum, cap. 5.* & à nonnullis alijs, hoc peccatum legatur commissum. Dicitur nihilominus Simonia à Simone Mago, qui cum vidisset, quòd per manuum impositionem ab Apoitolis daretur Spiritus sanctus (ut legitur in Actibus Apostolorum *cap. 8.*) obtulit eis pecuniam, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Cui S. Petrus Apostolus respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.*

Simonia, unde sic dicta?

19. Est igitur Simonia species Sacrilegij: cum vendere Rem sacram, seu spiritualem pretio temporali, sit contra reverentiam Deo in Rebus sacris debitam; simulque violet ipsius Rei sacræ sanctitatem, quæ cum gratiosè nobis à Deo concedatur in nostram proximorumque salutem, atque insuper tantæ si dignitatis, ut sit pretio inestimabilis, ac proinde dignis debeat dari gratis, juxta illud Salvatoris, *Marth. 10. Gratis accepistis, gratis date:* nihilominus æstimato pretio venditur, aut

Ea est species Sacrilegij.

Simoniam
definitio
declaratur.

20. CONCL. I. *Simoniam* est studiosa voluntas emendi, vel
vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, pretio tem-
porali. Ita *Glossa in Rubricam, tit. de Simoniam*; estque definitio
hæc communiter recepta inter Doctores, & patebit ex ejus de-
claratione. Dicitur I. *Studiosa voluntas*; id est, actus delibera-
tus voluntatis: & hæc particula stat loco generis, reliqua addun-
tur per modum differentie. Dicitur II. *Emendi, vel vendendi*:
sub qua particula comprehenduntur omnes Contractus, & pa-
cta onerosa, in quibus datur pretium temporale, vel ejus æstima-
tionem, sive id fiat per veram emptionem aut vendi-
tionem, sive per aliquam permutationem, aut alium hujusmodi
Contractum onerosum. Dicitur III. *Pretio temporali*: sub qua
particula comprehenditur non solum omnis pecunia, sed etiam,
quidquid pecuniæ est æstimabile; ut est munus à lingua, munus
à manu, & munus ab obsequio. Hinc in *Jure Canonico c. Sunt
nonnulli. 1. q. 1. reprobatur, veluti simoniacum, Munus ab obsequio,
Munus à manu, & Munus à lingua. Et can. Salvator. 1. q. 3. dicitur:
Quisquis igitur res Ecclesiasticas non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad
propria lucra, munere lingue, vel indebiti obsequij, vel pecunia largitur, vel
adipiscitur, simoniacus est, cum concordantijs.*

Simoniam
quàm grave
peccatum?

21. CONCL. II. *Simoniam* ex genere suo est peccatum mor-
tale. Ita certa omnium, & patet ex suprâ citatis verbis D. Petri,
Astor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei ex-
istimasti pecuniâ possideri.* Unde passim SS. Canones graviter repre-
hendunt *Simoniam*, appellantes eam *Execrabile vitium, turpissimum
lucrum, piaculare flagitium, simoniacam pestem, hæresin simoniacam, ad cu-
jus comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur*: uti videre
est *c. Reperiuntur. & c. Quicumque, ac seqq. 1. q. 1. & c. Patet. 1. 7. q. 7.
& c. Per tuas, de Simoniam, & alibi.* Ex quibus verbis facile patet gra-
vitas hujus criminis.

Est triplex.

22. CONCL. III. *Simoniam* rectè dividitur in mentalem,
conventionalem, & realem. Ita communis, & patebit ex earum
explicatione. Itaque

Simoniam
mentalem,
quid?

23. *Simoniam mentalem* est internum propositum, quo quis, dum
confert alteri spirituale, intendit eum obligare ad reddendum
temporale, vel econtrâ, sine ullo pacto exteriori expresso, vel ta-
cito: ut si quis det alicui centum aureos, aut eidem inserviat
cum intentione ipsum obligandi, ut in mercedem sibi conferat
Bene-

Beneficium Ecclesiasticum, & hoc postea sibi conferatur, quamvis nullum pactum exterius circa hoc intervenerit. Unde per Simoniam mentalem non intelligitur hic merum propositum committendi Simoniam (quamvis & hoc jam sit peccatum) sed intelligitur ea Simonia, quae quidem aliquem actum externum habet, v. g. dationem pecuniae, malitia tamen ejus non se prodit exterius, sed in sola mente manet, eo quod nullum pactum externum interveniat.

24. *Simonia conventionalis* est, quando non solum est internum propositum obligandi, sed etiam proceditur ad externam conventionem, seu pactum expressè aut tacitè factum, dandi sive recipiendi rem spiritualem pro temporali, absque tamen executione, saltem utrinque factâ. Additur notanter, *saltem utrinque factâ*: nam alia est *Simonia purè conventionalis*, quae videlicet ex neutra parte est completa: ut si quidem pactum fuerit initum conferendi Beneficium Ecclesiasticum pro certa pecunia, adhuc tamen neque Beneficium collatum, neque pecunia soluta est. Alia verò est *Simonia conventionalis mixta*, quae nimirum est completa solum ex parte unius, sive dando pretium nondum collato Beneficio, sive e contra.

Simonia conventionalis, quid?

Alia purè conventionalis, & alia mixta.

25. *Simoniae Conventionalis* species quaedam est *Simonia*, quae dicitur *Confidentialis*, qua quis cupiam Beneficium Ecclesiasticum procurat, eligendo, praesentando, resignando, confirmando, aut aliâ ratione cum certa confidentia, seu pacto inito, ut is, qui Beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, vel alteri, utputà fratri aut nepoti suo, cum fructibus, aut aliqua eorum portione suo tempore cedat. Et adversus hanc *Simoniae* pravitatis speciem, quam *Confidentialem*, seu *Beneficiorum confidentialiam* appellant, eo quod circa sola Beneficia Ecclesiastica contingat, & per quam ex illicita beneficentia quandoque illa asservabantur personis pro tempore inhabilibus, vel etiam nondum natis, edidit Pius IV. severissimam Bullam, quae incipit, *Romanum Pontificem* (habeturque tom. 2. Bullarum Romani, *Constit. 85. dicti Pont.*) in qua sub gravissimis poenis ipsam prohibuit; eamque prohibitionem innovavit B. Pius V. in sua Constitutione 85. *Intolerabilis*.

Simonia Confidentialis declaratur.

26. Tandem *Simoniae realis* est, quando pactio ex utraque parte impleta est, saltem inchoatè: ut si collatio Beneficij facta est, & vicissim pretium solutum, aut saltem pars pretij data pro eo.

Simonia realis.

Siquid gratis detur, ac recipiatur, non fit Simonia.

27. CONCL. IV. Etsi certum sit, committi Simoniam, si pretium temporale exigatur pro administratione Sacramentorum, sepulturâ Ecclesiasticâ, confirmatione electionum, installatione in Beneficijs, ac hujusmodi; nihilominus si quid gratis detur, ac recipiatur, Simonia non committitur. Ita communis. Et quidem prior pars sequitur ex dictis *num. 20.* Unde in Jure Canonico *tit. de Simonia, c. Non satis, & c. Cùm in Ecclesia, & c. Ad Apostolicam,* & alibi, gravissimè reprehenduntur, ac prohibentur prava consuetudines exigendi pro similibus sacris functionibus pretium temporale; quamvis laudabiles consuetudines erga sanctam Ecclesiam piâ fidelium devotione introductæ, spontè aliquid dandi Ecclesiæ Ministris talia spiritualia ministrantibus, observari præcipiantur. Et per hoc patet altera pars Conclusionis, quæ amplius habetur *can. Sicut Episcopum. 1. q. 2. & alibi.*

Simonia non est, intuitu spiritualium functionum dare, aut recipere aliquid per modum stipendij.

28. CONCL. V. Insuper Simonia non est, si intuitu spiritualium functionum, utputà administrationis Sacramentorum, Concionum, Missarum celebrandarum, ac hujusmodi, datur aut recipitur aliquid per modum stipendij, hoc est, pro iusta & congrua sustentatione Ministri Ecclesiastici. Est certa, atque communis; & patet ex unanimi sensu, & praxi quotidiana fidelium. Ratio est: quia unusquisque meretur sustentari ab illo, in cuius licito ministerio occupatur. Unde dicit Christus Dominus *Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo.* Et *Apost. 1. Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Quasi diceret: id magnum non est, sed debitum: prout ex contextu patet. Quinimò ex hujusmodi textibus inferunt Doctores, quòd eis, qui ministrant populo spiritualia, debeat sustentatio ex Justitia. sicut operario merces sive cibus: unde appellatur *Stipendium sustentationis*, quia verè debitum ut stipendium, juxta illud *1. Corinth. 9. Quis militat suis stipendijs?*

An de hujusmodi stipendio licitum sit pacisci?

29. Addunt non pauci, quos sequitur *Layman lib. 4. traët. 10. cap. ult. §. 2. num. 15.* etiam licitum esse Ministris Ecclesiasticis, quantum est ex natura rei, de ejusmodi stipendio congruo sustentationis ob spiritualia ministeria persolvendo pacisci. Ratio est: Tum quia quilibet potest pacisci de eo, quod sibi jure naturæ debetur. Tum quia Clerici sic paciscentes non exigunt aliquid tanquam pretium spiritualis ministerij (hoc enim, tanquam majus omni pretio temporali, gratis exhibent, & alioquin manifestam committerent Simoniam) sed ejusmodi ministerium

sterium sacrum gratis exhibentes, requirunt duntaxat congruam à populo sustentationem; atque ad majorem hujus securitatem paciscuntur de certa ejus quantitate, ubi hæc Superiorum autoritate, vel consuetudine nondum est determinata; vel si est determinata, ut integrè præstetur.

30. Notanter hîc additur, *Id esse licitum, quantum est ex natura rei.* Siquidem spectato Jure communi antiquo fuisse Simoniam, saltem Juris humani Ecclesiastici, sic pacisci, censet Lessius *lib. 2. de just. & jure, c. 8. num. 49.* id probans ex *cap. ult. de Pactis*, & alijs textibus Juris Canonici: quibus tamen per contrariam consuetudinem in quibusdam rebus, & functionibus, ait esse derogatum. Deinde ubi stipendium functionis à Prælati, vel consuetudine est determinatum, non potest illud excedi sine injustitia. Tandem qui sic paciscuntur, cavere debent, ne habeant intentionem paciscendi de pretio officij spiritualis, sed tantum de congrua sustentatione: caveant etiam, ne imperiti ex tali pacto offendantur, & scandalizentur; qui proinde monendi sunt, pecuniam non pro ipsa actione sacra, sed pro necessaria solum sustentatione postulari.

Id ipsum magis declaratur.

31. CONCL. VI. Non est Simonia, dare pecuniam solum ad redimendam vexam circa spiritualia, quam quis injustè patitur. Ita communior Doctorum, contra Innocentium; idque desumitur tum ex *c. Questum, 1. q. 3.* tum ex *c. Dilectus*, junctâ Glosâ *ibid. de Simonia*, ubi talis redemptio injustæ vexæ refertur, nec tamen reprehenditur, imò potius approbatur. Accedit ratio: quia dans pecuniam ex tali causa, non dat ipsam pro re spirituali, & tanquam pretium ipsius; sed dat ipsam pro tollenda vexa, seu auferendo iniquo gravamine, atque ad removendum impedimentum pravæ voluntatis alterius. Sic v. g. licitum est, saltem urgente casu necessitatis, aut alterius gravis periculi, dare pecuniam ratione Sacramentorum administrandorum illi Clerico, qui non vult ea ministrare gratis: non quidem ut pretium Sacramentorum (hoc enim est intrinsecè malum, atque simoniacum, & in nullo prorsus casu licitum) sed tanquam medium ad removendum impedimentum pravæ voluntatis seu avaritiæ alterius. atque ut is à peccato injustæ vexationis abducatur, & ad officium suum ritè præstandum inducatur.

Simonia non est dare quid ad redimendam injustam vexam circa spiritualia.

32. Cæterum hæc Conclusio patitur limitationem in Beneficijs Ecclesiasticis: in his quippe non est licitum, quin potius simoniacum, dare pecuniam pro redimenda vexa, quando of-

Fallit Conclusio in Beneficijs Eccl.

elestasticis,
si quis nec-
dum habet
jus in re.

ferens pecuniam necdum habet jus in re, sive jus quæsitum in Beneficio. Desumitur autem hæc limitatio ex *cap. Matthaus. de Simonia*; ubi electus à majori parte, alijs tamen contradicentibus, si his det, aut dari consentiat pecuniam, ut à contradictione desistant, ac ipse postea confirmetur, censetur Simoniacus, & obligatus ad resignandum Beneficium. Ratio est: quia sic daretur pecunia ad consequendum liberè jus spirituale, prout discurret Abbas Panormitanus *super cir. c. Matthaus. de Simonia*, clarè distinguens, quòd pro jure quærendo non sit licitum dare pecuniam etiam ad redimendam vexam, ob textum & rationem allegatam: sed quando jus cuiusdam jam est quæsitum, & vexatur quis in eo, bene dari possit pecunia pro redimenda vexatione, per textum & rationes *num. præc. adductas*; quia tunc non amplius sterneretur via per pecuniam ad Beneficium Ecclesiasticum. Hoc ipsum tradit Layman *cir. §. 2. num. 22. & seq.* citans alios, & Ludov. Engel *tit. de Simonia, n. 31.* ubi etiam resolvit, quòd lite beneficii pendente absque labe Simonia non possit fieri transactio (secus dicendum de compositione amicabili) ut adversarius accepta pecunia à lite desistat, per textum clarum *cap. Constitutus. & c. Super eo. de Transactionibus.*

Licitum est,
dare vel re-
cipere pre-
tium pro la-
bore per ac-
cidens con-
juncto cum
sacro Mini-
sterio.

33. CONCL. VII. Loquendo de corporali labore, defatigatione, atque molestia in sacris Ministerijs, utputà in celebrationibus Missarum, administrationibus Sacramentorum, aut Consecrationibus Ecclesiarum & c. occurrente, & an pro eodem licitum sit dare, vel recipere pretium, distinguendum est. Et quidem conveniunt Doctores, pro labore aut obligatione, quæ sacro Ministerio per accidens conjuncta est, licitè aliquid dari, & accipi ut pretium: prout fit, quando Sacerdos iter longum conficere debet ad celebrandam in certa Ecclesia Missam, vel administrandum Sacramentum; aut quando Capellanus obligare se debet ad persistendum in suis spiritualibus functionibus toto anno, præsertim tempore pestis, & hujusmodi. Ratio est: quia talis labor, aut obligatio ex se est pretio æstimabilis, & per accidens solum hic & nunc annectitur spirituali Ministerio.

Non item
pro labore
intrinseco,
sive per se
conjuncto
cum ipso.

34. Secus dicendum de labore intrinseco, seu qui per se ac necessariò conjunctus est cum sacro Ministerio: nam pro tali simoniaco est dare, vel recipere pretium, *arg. c. Si quis obsecrit. 1. q. 3. & c. Ad nostram. de Simonia*; ubi generaliter mandatur, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo nullatenus pecunia exigatur. Quo tamen non obstante potest aliquid dari, ac recipi per

per modum justī stipendij, seu ad honestam sustentationem Ministrorum Ecclesiae, ut dictum *num. 28.* Et hoc solum volunt nonnulli antiquiores Authores, qui videntur oppositum tenuisse: nam commodè explicantur, quòd loquantur de justo stipendio, Ministris Ecclesiae in gratiam Fidelium laborantibus debito ad ipsorum sustentationem, non autem de pretio laboris spiritualis. Layman *lib. 4. tract. 10. §. 4. n. 41. & alij.*

QUAESTIO IV.

Solvuntur alia Dubia circa Simoniam, ejusque poenas.

35. **Q**uæritur I. An Simonia alia sit Juris Divini, alia Juris Ecclesiastici? Resp. affirmativè, cum Glossa communiter recepta *c. Ex parte. il. 1. §. dimittere. de Offic. de legat. ubi ait, quòd quedam sunt prohibita, quia simoniaca; ut vendere Sacramenta &c. Et quedam simoniaca, quia prohibita; & sunt illa, quae per constitutionem Ecclesiae facta sunt simoniaca.* Simonia alia Juris Divini, alia Juris Ecclesiastici.

36. Exemplum Simoniae Juris duntaxat Ecclesiastici, est in primis permutatio Præbendarum, sive Beneficiorum Ecclesiasticorum; quæ si fiat pacto interveniente, ac propria auctoritate, sine interventu Episcopi, prohibetur tanquam simoniaca, *c. Questum. de Rerum permutat. & alibi: cum tamen permutare unam rem spiritualem cum alia spirituali (ut sunt duo Beneficia) ex natura sua non sit simoniacum. Aliud exemplum habetur *can. Placuit. 1. q. 1.* ubi pro modico balsamo, quod benedictum pro Sacramento Baptismi datur per Ecclesias, prohibetur exigi tremissis, tanquam speciem habens Simoniae. Similiter *c. Non satis. & c. Ea qua. de Simonia,* cavetur, ut pro Chrismatis, & Olei receptione, nulla cujusquam pretij exactio attentetur. Atqui hanc non esse Simoniam Juris Divini, sed duntaxat Ecclesiastici, patet ex eo: quia oleum, vel balsamum illud, quod benedicitur, secundum se est pretio æstimabile, sicque pro eo pretium recipi, Jure Divino aut naturali non prohibetur; ergo prohibitio illa, ob speciem Simoniae, fit solo Jure Ecclesiastico.*

37. Hinc infertur, quòd Papa quidem possit involvi crimine Simoniae, quæ est Juris Divini, vendendo v. g. Sacramenta; quia & Papa est subiectus Legi Divinae: nihilominus in ipso non habeat Papa an possit involvi crimine Simoniae?

habeat locum Simonia Juris duntaxat Ecclesiastici, qualis reperitur in ijs, quæ sunt simoniaca, quia prohibita; ut notat Fagnanus *c. Cum pridem, n. 55. de Pactis*. Loësius *tit. de Simonia, n. 126. & communis*. Siquidem Summus Pontifex secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare, *c. Proposuit. de Concess. præbendæ*. Simulque antecessor successorem suum quomodolibet non obligavit; cum non habeat imperium par in parem, prout notatur in *c. Exijt. §. Ceterum. de Verb. signif. in 6. cum concordantijs*.

Pretium simoniacum, quid, & quotuplex?

38. Quæritur II Quid, & quotuplex sit pretium simoniacum, cum? Resp. cum communi: Pretium simoniacum est aliquid temporale datum pro spirituali. Et hoc in jure Canonico vocatur *Munus*; non quidem, prout munus significat donum gratuitum, sed prout importat onus seu debitum ex obligatione. Ceterum hujusmodi Munus est triplex, videlicet Munus à manu, Munus à lingua, & Munus ab obsequio, prout patet ex dictis, & textibus *n. 20. allegatis*.

Munus à manu, à lingua, & ab obsequio, quid?

39. Per *Munus à manu* intelligitur non solum pecunia, sed etiam omnis res temporalis pretio æstimabilis, *c. Totum. 1. quest. 3.* Per *Munus à lingua* intelliguntur laudes, preces, seu recommendationes apud Principem, v. g. vel populum, ex pacto interponenda pro eo, qui Beneficium vel rem spirituales cuiquam concultit, vel collaturus est: sicut enim res spiritualis pacto interposito datur pro illa recommendatione, & econtrà, cum tamen ejusmodi recommendandi obligatio sit quid temporale. ac pretio æstimabile. *Lessius lib. 2. cap. 35. dubit. 20. & alij*. Et hac de causa, si detur aliquid temporale Officialibus pro præbendo duntaxat aditu, vel Mediatori seu Intercessori pro labore illo, quem in se suscipit in semel vel sæpiùs adeundo Collatorem Beneficij, aut ratione alicujus imminentis damni, v. g. periculi disgratiæ, non committi Simoniam, censent Navarrus *cap. 23. Manualis, n. 106.* & Layman *loc. cit. n. 65.* quia videlicet talia sunt pretio æstimabilia. Secus foret, si pro ipso Beneficio conferendo, vel impetrando, daretur aut reciperetur pecunia, ut patet. Tandem per *Munus ab obsequio* intelliguntur servitia, seu obsequia temporalia cuiquam præstita, seu præstanda sub pacto, seu obligatione Beneficij Ecclesiastici collati, seu conferendi, & econtrà.

Ac Simonia requiritur p. pactum quale?

40. Quæritur III. Quid censendum de pacto simoniaco? Resp. I. Certum est, ad rationem Simoniz requiri pactum, expressum vel tacitum, dandi rem spirituales pro temporali, aut econtrà; ita videlicet, ut dans temporale intendat alterum obligare

ligare ad reddendum spirituale, & econtrà. Quamvis idcirco non negetur, posse dari Simoniam ex parte unius duntaxat; prout patet in Simone Mago, qui solus, non autem V. Petrus, incurrit Simoniam. Idem accidere solet in Simonia mentali.

41. Infertur proinde, si quis det honorarium alteri ad captandam duntaxat ejus benevolentiam, vel conciliandam amicitiam, ut postea sui memor ex benignitate conferat Beneficium, vel aliam rem spirituales, non committi Simoniam: quia deest pactum, & totum hinc inde gratis datur. Idem dicendum, si quis infer viat Episcopo gratis ad consequendam ejus benevolentiam, vel ut is suam scientiam atque dexteritatem perspectam habeat; sicque citius alliciatur ad conferendum sibi Beneficium; deest enim pariter omne pactum, uti supponitur. Lessius *loc. cit.* Layman *cit. cap. ult. §. 2. & 3.* & alij, post Glossam *c. Cum essent. §. Promiserat. de Simonia.*

Corollaria.

42. Nec obstat, quòd ex talibus obsequijs, atque honorarijs, oriatur obligatio quaedam Antidoralis; id est, talis, qua datur obligat alterum naturaliter ad remunerandum ex virtute gratitudinis. Resp. enim cum Navarro *cap. 23. Manualis, num. 106.* Lessio, & alijs, hoc non obstat: quia ad Simoniam requiritur obligatio ex Justitia, sive ut ex pacto, expresso vel tacito, detur temporale pro spirituali. At obligatio Antidoralis, seu remuneratoria, solum est ex decentia & honestate, & procedit ex liberalitate; simulque ex se non determinatur ad reddendam rem spirituales, cum aliâ ratione remunerando possit eidem satisfieri, nec propriè est obligatio.

Solvitur instantia de obligatione Antidorali.

43. Resp. II. Nihilominus dare temporale tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, Simoniacum est. Ratio est. Tum quia, quando temporale assumitur ut motivum ejusmodi, jam æquivalenter oblatio illa est emptio, & res temporalis est pretium: simulque per temporale paratur via ad spirituale obtinendum, prout fecit Simon Magus, spontè offerendo pecuniam ad consequendam potestatem spirituales; cui proinde dixit S. Petrus Actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Tum quia hic intervenit pactum, si non explicitum, saltem implicitum, dum ideò datur temporale, ut alter moveatur, seu tacitè obligetur ad reddendum spirituale; quæ est ipsissima Simonia mentalis, quamdiu intentio ista alterum sic tacitè obligandi, atque movendi, aliunde exterius se non prodit. Hinc merito Innocentius XI.

Simoniacum est, dare temporale tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituales.

Propositio
damnata
refertur,

inter alias sequentem. ordine 45. Propositionem damnavit, sicut
jacet: *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale
non datur tanquam precium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi,
vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solum gratuita
compensatio pro spirituali, aut econtra.*

Per gratui-
tam com-
pensatione,
quid intel-
ligatur in
ipsa?

44. Ubi circa posteriora hujus damnatae Propositionis ver-
ba notandum cum Joanne Cardenas, in *Cristi Theologica*, ad dictam
Propositionem 45. num. 37. & seqq. quod per gratuitam compen-
sationem intelligatur ea, quae fit cum pacto, seu interveniente ob-
ligatione dandi aliquid titulo gratitudinis: ut si Patronus confe-
rat Clerico Beneficium cum pacto, ut se gratum exhibeat. & ex
gratitudine det ipsi aliquam pecuniam (prout esse licitum paci-
fici de dando ex gratitudine dono temporali pro spirituali, & econ-
tra, olim fuit opinio quorundam.) Nam qui sic exigit titulo gra-
titudinis aliquid temporale, excedit limites obligationis Antido-
ralis, utpote quae non determinat aliquid temporale, sed potest
alunde impleri; prout benè notat cit. Cardenas n. 46. & jam di-
ctum est supra n. 42.

Aliae propo-
sitiones
quoad pro-
positum ca-
vendae.

45. Quoad praesentem materiam cavendae sunt insuper aliae
duae Propositiones, quarum prior, ordine 22. ab Alexandro VII.
damnata fuit, & sic sonat: *Non est contra justitiam, Beneficia Eccle-
siastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccle-
siastica, pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficij,
sed veluti pro emolumento temporali, quo tibi conferre non tenebatur.*
Altera verò, illicò sequens supra memoratam Propositionem
45. ab Innocentio XI. condemnatam, sic habet: *Et id quoque lo-
cum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò
etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud plurius aestimetur, quam res
spiritualis.* Haec utraque Propositio merito est condemnata, ut sa-
tis patet ex haecenus dictis.

Vnde colli-
gendum, an
quid detur
vel accipia-
tur ex pacto
simoniaco,
accuset?

46. Resp. III. An aliquid detur, vel recipiatur ex pacto
simoniaco, vel potius ex alio justo titulo, pro Foro interno seu
conscientiae facile dijudicatur, utpote in quo propria cujusque
intencio seu mens inspicitur: siquidem bona intencio ponit
rem extra vitium; mala verò parit Simoniam, ad minimum
mentalem Toësius tit. de Simonia, n. 55. Loquendo verò pro Foro
externo, in dubio ex circumstantiis id erit dijudicandum; & quan-
tùm ad hoc, tria sunt maxime attendenda, persona scilicet dantis & accipi-
entis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus, uti notatur c. Et
si quaestiones, de Simonia.

47. Quæritur IV. Quænam poenæ in Jure sint contra Simoniacos statutæ? Resp. I. Diversæ quidem sunt poenæ in Jure statutæ, etiam ipso facto incurrendæ per Simoniacos, prout habetur in Extravag. Sane. & Extravag. Cum detestabile. de Simonia (nam, ut ibidem notat Pontifex, plures poenarum gravitas, quàm Dei timor arcere solet à vetitis) nihilominus nulla Simonia duntaxat mentalis inducit ejusmodi poenas. Ita communis; & desumitur ex cap. ult. de Simonia, ibi: Pro Simonia, qua nullo pacto, sed affectu animi precedente delinquitur, sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori.

Poenæ contra Simoniacos in Jure statutæ.

Eas non inducit Simonia mentalis.

48. Resp. II. Insuper Simonia purè conventionalis non inducit ipso facto poenas à Jure statutæ: nam Canones statuunt poenas in eos, qui quomodolibet dando, vel recipiendo, Simoniam commiserint, Extrav. Cum detestabile, junctâ Extrav. Sane. eod. Idem probabilis dicendum de Simonia conventionali mixta (dummodò hinc excipiatur ea, quæ appellatur Confidentialis, seu Confidentia beneficiorum, propter specialem Bullam B. Pij V. Intolerabilis, de quantum. 25.) ut notat Navarrus cap. 23. Manualis, n. 104. Zoësius, Engel, Lessius, Covarruvias, & communior. Ratio est: quia nullibi in Jure habentur tales poenæ clarè expressæ contra Simoniam conventionalem, etiam mixtam: itante autem dubio, in poenis benignior est interpretatio facienda, juxta reg. 49. Juris in 6. cum concordantijs.

Neque conventionalis.

Exceptâ Confidentiali.

49. Facendum tamen, quòd tum Simonia conventionalis, tum etiam mentalis, sit grave peccatum. Quinimò si Simonia conventionalis postmodum ex parte utriusque compleatur, in totum vel in partem, hinc dando pretium vel partem ejus, illic verò rem spiritualem, v.g. Beneficium Ecclesiasticum, etiam incurruntur poenæ ipso Jure statutæ contra Simoniacos, ac retrotrahuntur ad tempus pactionis præteritæ, juxta stylum antiquum Curie Romanæ. Navarrus cit. n. 104. Lessius lib. 2. c. 35. n. 151. & alij.

Quid, si Simonia conventionalis postmodum hinc inde compleatur?

50. Resp. III. Simonia realis, quæ committitur in ingressu Religionis, in Ordine (id est, in susceptione, vel collatione Sacramenti Ordinis) vel in Beneficio Ecclesiastico, inducit ipso facto poenas à Jure statutæ. Ita communis; & habetur clarè in cit. Extrav. Sane. & Extravag. Cum detestabile de Simonia: ubi committentes hujusmodi Simoniam realera, ipso facto excommunicantur, aliisque poenis subjiciuntur, quæ ibidem enumerantur. Et præsertim cit. Extravag. Cum detestabile, circa committentes

Simonia realis inducit poenas, quando fit in ingressu Religionis, Ordine, vel Beneficio.

Simoniam in Beneficijs Ecclesiasticis, statuitur, quod non solum ipso facto incurrant excommunicationem Summo Pontifici reservatam, sed insuper talis collatio, siue provisiō irrita sit, nullumque jus tribuat; adeo, ut nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.

Beneficium
simoniacè
recipienti,
quid agen-
dum?

Quia igitur omnis collatio Beneficij, quam simoniacè contingit labe fieri, viribus omnino caret, atque exinde jus cuiquam nullatenus acquiritur, juxta *cit. Extravag. Cum detestabile*: hinc ille, qui Beneficium simoniacè recepit, tenetur (cessante legitimâ dispensatione) Beneficio taliter acquisito renunciare. Angelus *ŷ. Renuntiatio. num. 13.* Sylvester *ŷ. Simonia. q. 13. §. Octavum.* & alij. Non tamen debet talis dimittere possessionem Beneficij, quam de facto habet, absque licentia legitimi Superioris: sed abstineat à perceptione fructuum, exceptâ strictâ necessitate vitæ, & quærat, quàm citò poterit, resignare, uti notat Angelus *cit. n. 13.*

Dispensatio
super Bene-
ficio simo-
niacè recep-
to, à quo
possit dari?

§ 1. Additur verò, cessante legitimâ dispensatione. Nam in primis, qui Beneficium simplex per simoniam ab alijs commissam ignoranter recepit, neque eandem simoniam ratam habuit, & postmodum cognitâ rei veritate Beneficium illud resignat; potest per Episcopum dispensari ad Beneficium illud retinendum, *arg. cap. penult. de Election.* Secus, si sit Prælatura, Dignitas, vel Beneficium curatum: quia circa majora cautiùs est agendum; sicque Episcopus quoad ista non potest dispensare. *Glossa fin. & Barbosa ad cit. cap. penult. n. 4. Pirhing tit. de Electione, n. 98. & seqq. & alij.* Quod si ipsemet Beneficiarius commisit simoniam, aut eam ab alijs commissam ratam habuit, nequit Episcopus cum eo dispensare ad retinendum Beneficium ita simoniacè acquisitum, sed solus Papa, *arg. cit. Extravag. Cum detestabile.*

Et qualiter
sit obtinen-
da?

Deinde loquendo de Foro conscientie, & quando simonia est occulta, poterit adiri Summus Pontifex, vel potiùs Major Pœnitentiarius ipsius; & exposito ritè per litteras crimine simoniæ (tacito tamen nomine Rei, prout in impetratione dispensationis super occultis impedimentis matrimonij fieri solet, juxta inferiùs dicenda *Tract. XIV. Dist. 14. num. 170. & 171.*) supplicari Eisdem, ut præter absolutionem ab excommunicatione, de opportuno dispensationis, seu habilitationis remedio supplicanti providere dignetur, vi cujus idem supplicans pro Foro conscientie imposterum valeat tale Beneficium retinere, ejusque fructus percipere, & hætenus perceptos retinere. Allegatis in hunc finem veris,

veris, & rationabilibus causis, utputà periculo scandali, aut infamiz, quæ ex dimissione Beneficij oriri posset, vel paupertate Beneficij &c.

52. Dicitur notanter num. 50. *qua committitur in ingressu Religionis, Ordine, vel Beneficio Ecclesiastico.* Siquidem nulla alia Simonia, etiam realis, inducit pœnas juris ipso facto, & ante sententiam Judicis, nisi in tribus duntaxat enumeratis casibus; prout observant Lessius num. 130. Pirhing de Simonia, num. 154. Navarrus, aliique communiter. Quare si quis committat Simoniam in administratione aliorum Sacramentorum, quàm Ordinis, vel in Consecrationibus, Benedictionibus, Dispensationibus, aut hujusmodi, graviter quidem peccabit, non tamen ipso facto incurret pœnam excommunicationis, suspensionis, vel inhabilitatis alicujus. Ratio est: quia nullibi in Jure exprimitur pœna ipso facto incurrenda, præter tres Simoniz species proximè enumeratas; quanvis c. *Quidquid. 1. q. 1.* committens Simoniam in Baptismo, vel collatione Chrysmatis, dicatur *competenti pœnâ, & debitâ excommunicatione plectendus*; atque etiam c. *Qui alium. & c. Sicut. & c. Ea qua. de Simon.* convicti de Simonia jubeantur deponi: nam hæc verba non indicant pœnam latæ, sed duntaxat ferendæ sententiæ.

Non autem ante sententiam Judicis. si committitur in alijs casibus.

Q U Æ S T I O V.

De Blasphemia.

53. **B**lasphemia est nomen græcum, & juxta nominis etymologiam idem est, ac *Nocens dictum*; unde & Maledictioni, Convitio, atque Contumeliæ convenire potest: communiter tamen sumitur pro verbo contumelioso in Deum. Et hoc annotavit D. Augustinus lib. 2. *De moribus Manicheorum. cap. 11.* dicens: *Est autem Blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgò Blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest, Deus autem sine controversia bonus est.* Hæc ille. Et de tali Blasphemia loquendo, sit

Blasphemia vi nominis, quid?

54. **CONCL. I.** Blasphemia est contumeliosa in Deum loquutio: sive (ut alij loquuntur) Blasphemia est verbum maledictionis, convitij, sive contumeliæ in Deum. Ita in re communis.

Ejus definitio.

nis. Unde patet, quòd Blasphemia immediatè opponatur Laudi Dei.

Quæ decla-
ratur.

Dicitur, *locutio contumeliosa*. Quia Blasphemia consistit præcipuè in verbis irreverentibus, injuriosis, & Divinum Nomen seu honorem lædentibus, etsi aliquando etiam committatur ipsi factis, utputà si Deus contumelioso signo vilipendatur; ut exspuendo in cælum, aut hujusmodi. Datur insuper Blasphemia cordis, seu interna, non minùs, ac dari solet Laus interna Dei: circa quam nihilominùs benè attendendum est, num adfuerit plena advertentia & consensus, vel potius duntaxat sint cogitationes blasphemæ incidentales, & involuntariæ: hæ enim peccatum non sunt, aut saltem non grave, defectu voluntarij, plenæque deliberationis.

Datur Blasphemia in Deum, & Sanctos.

55. Dicitur ulterius, *contumeliosa in Deum*. Quia, ut notat D. Thomas 2. 2. q. 53. arr. 1. Blasphemia est peccatum, quo quis ex pravo cordis affectu de excellentia Divinæ Bonitatis detrahit, illique contumeliam infert, vel negando aliquid, quod ipsi proprium est, vel aliquid imponendo, quod ei minimè convenit. Cæterùm per hoc non negatur, dari etiam Blasphemiam in Beatissimam Virginem MARIAM, aliòsque Sanctos: etenim, sicuti Deus laudatur & honoratur in suis Sanctis, horùmque gloria redundat in Deum; sic etiam Blasphemia erga Divam Virginem, & Sanctos, redundat in ipsum Deum.

Blasphemia dividitur in hæreticalem, & non hæreticalem.

56. CONCL. II. Blasphemia inter alias divisiones suas, præcipuè dividitur in hæreticalem, & non hæreticalem seu simplicem. *Blasphemia hæreticalem* est illa, quæ Articulis Fidei directè opponitur; seu, qua aliquid asseritur Fidei contrarium per verbum indicativi modi: ut si quis dicat: *Deus est crudelis, injustus, mendax, infidus, qui res hominum non curat*; vel si quis dicat: *ò Deum injustum!* aut, *Abnego Deum, &c.* *Blasphemia simplex*, seu non hæreticalem dicitur, quæ Articulis Fidei directè non opponitur, sed aliquid vituperabile per modum detestationis, & quasi impreationis, in Deum profert: ut si quis Deo maledicat, aut optet, non esse Deum.

Estque ex genere suo peccatum mortale.

57. CONCL. III. Blasphemia ex genere suo est peccatum mortale; estque lethalis culpa, quoties cum perfecta advertentia verba Blasphemæ proferuntur. Ita communis: siquidem Blasphemia gravem infert Deo injuriam. Quinimò notant Doctores, Blasphemiam ratione parvitaris materiæ non posse fieri peccatum veniale (in ipsa enim non datur parvitas materiæ cum

eum omnis Blasphemia gravem injuriam Deo inferre videatur) Nec admittit parvitatem materiae.
 sed tantum ex indeliberatione, & inadvertentia actus, posse quandoque Blasphemiam fieri veniale peccatum.

58. Circa quod bene notanda est doctrina, quam tradit Doctor Angelicus 2. 2. q. 73. art. 2. quod peccata verborum maxime sunt ex intentione dicentis dijudicanda. Hæc quippe doctrina etiam locum habet in verbis Blasphemiam sonantibus, vel non sonantibus: quibuscunque enim verbis utaris, non eris reus Blasphemiae in Foro Dei, si absit omnis tam indirecta seu virtualis, quam directa seu formalis intentio inhonorandi Deum: & e contra coram Deo judicaberis Blasphemus, etiamsi sanctissimis verbis inhonores ex intentione Creatorem tuum. In Foro autem externo præsumitur quis eo sensu locutus, quem verba ex communi usu loquendi indicant. Unde D. Gregorius lib. 26. Moral. c. 7. relatus can. Humana. 22. q. 5. sic inquit: Humana aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: Divina vero judicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Hinc

59. Inferitur I. Si quis verba Blasphemiae proferat, animo nec actualiter, nec virtualiter advertente, puta in ebrietate, non esse Blasphemiam propriè dictam, sed tantum materialem. Ad dicitur notanter, animo nec actualiter, nec virtualiter advertente: quia licet non possit esse malitia peccati Blasphemiae, nisi homo actualiter vel virtualiter intelligat, seu advertat ad verba, quæ ore proferit; sufficit tamen ad hoc indirecta, & virtualis attentio, & intentio. Unde si quis scienter ac seriò loquatur verba, quæ velex propria significatione, vel ex modo proferendi, aliisve circumstantiis Divini honoris diminutionem continent, quamvis homo eam directè non intendat, adhuc tamen committit Blasphemiam: sicut à pari ad peccatum detractionis, vel contumelie erga hominem, non requiritur formale nocendi propositum, sed sufficit virtuale. Layman lib. 4. tract. 10. cap. 6. n. 2. 6. 7. ac alij.

60. Inferitur II. cum Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. Laymano, Cajetano Navarro, & alijs, non esse propriè Blasphemiam, quando quis in ira, vel rixa cum aliquo, enunciat quidpiam de Deo, quod verum est; utputà ex indignatione dicendo: Corpus Dei, Chryisma, Sacramenta, &c. Quia etsi irreverenter dicantur, non tamen proferuntur per modum contumelie, vel injurie Deo irrogatæ, nec aliquid falsum Deo tribuunt, sicque plerumque non sunt peccata mortalia: dummodò affectus ille indignationis, & iræ non tendat in Deum, sed tantum contra hominem,

Corollariis

Ex ira dicuntur: Corpus Dei, Chryisma, Sacramenta, &c. quale peccatum?

minem, vel jumentum, cui aliquis irascitur; quod ex modo dicendi, aliisque circumstantijs, erit dignoscendum. Verum hoc non obstante, ejusmodi verba sacra temerè & irreverenter proferre in ira, est peccatum cujusdam Irreligiositatis, sed tantum veniale, ut ajunt Sanchez, Cajetanus, Armilla, & alij: quamvis ob scandalum, vel periculum formaliter blasphemandi, mortale fieri possit, ideoque homines à tali Irreligiositate, & apparente Blasphemiâ meritò absterrendi sint.

Quid de
nonnullis
alijs verbis?

61. Hoc autem intellige, si ejusmodi verba secundum se Divini honoris diminutionem nullam exprimant: nam si verba talia, aut tali modo proferantur, ut contumeliam Dei, aut Sacramentorum significant, videlicet, *Gang Tunnen Sacrament / gang Gallee Sacrament / daß dich Gottes Ehrosam schendte* (ut exemplificat, & docet Layman *loc. cit. num. 12.* & post eum Gobat *tract. II. Theol. Experiment. num. 739.* cum alijs) censeri debent Blasphemix, dummodò homo attenderit ad vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ talibus verbis exprimitur. Sæpè autem homines ejusmodi verba blasphemia proferunt inadvertenter, & materialiter tantum, non attendendo, quid significant: tum verò excusantur à peccato mortali, dummodò interim contentur perverfam ejusmodi consuetudinem deponere.

An omnes
Blasphemix
sint ejusdem
speciei?

62. Quæres, an omnia peccata Blasphemix sint ejusdem speciei? Resp. I. Blasphemia hæreticalis specie distinguitur à simplici Blasphemia. Ita certa, & communis. Ratio est: quia illa opponitur etiam Fidei, hæc autem Religioni tantum; quæ duæ virtutes sunt specie diversæ.


Quid de
Blasphemiam
in Deum, &
Sanctos?

63. Resp. II. Probabilius est, etiam Blasphemiam in Deum, & Blasphemiam in Sanctos, specie distingui. Ita Mairius *disp. II. Theol. Moral. num. 46.* post Caspensem, & alios, contra Sanchez *cit. cap. 33, num. 38.* Cajetanum, Bonacinam, Azorium, aliosque. Ratio data responsionis est: quia cultus Deo debitus est Patriæ; cultus verò Beatissimæ Virgini Mariæ, & Sanctis debitus, est Hyperdulix, vel Dulix: atqui hi cultus specie differunt; ergo etiam Blasphemiam in Deum, & Blasphemiam in Sanctos, specie differunt, cum opponantur ejusmodi diverso cultui, Deo & Sanctis debito.

Sententia
opposita
non caret
suâ proba-
bilitate.

64. Cæterum quia opposita sententia, asserens Blasphemias in Deum & Sanctos esse ejusdem speciei, eò quòd opponantur eidem virtuti Religionis, quæ tribuit cultum Deo, & Sanctis propter Deum (non obstante, quòd hic cultus sit diversus ab illo)

illo) multorum Doctorum existit, neque caret sua probabilitate: hinc ipsa nonnunquam Confessarijs deservire poterit, praesertim quoad Poenitentes, hanc diversitatem ultrò non exprimentes.



TRACTATUS VI. DE HORIS CANONICIS, JURAMENTO, ET VOTO.

1. **I**nter alios Religionis actus connumerari Juramentum & Votum, superius (a) jam dictum est: verum de ipsis merito seorsim agitur, cum ob copiosiore quam continent materiam, specialesque difficultates; tum majoris claritatis gratia.

Quia verò Horæ Canonicae comprehenduntur sub Oratione, uno ex primarijs actibus virtutis Religionis, prius de eisdem sub propria Distinctione dicendum erit.

DISTINCTIO I. De Horis Canonicis, QUAESTIO I.

Quid sint, & quo Jure obligent Horæ Canonicae?

2. **C**ONCL. I. Nomine *Horarum Canonicarum* intelliguntur *Horæ Canonicae*, quae ex precepto Sacrorum Canonum ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiae Deo persolvuntur. Et hujusmodi Horæ Canonicae continentur in Bre- *Dicantur* viario, atque alio nomine appellantur *Officium Ecclesiasticum*, item *Officium Ecclesiasticum* *Officium Divinum*: de quo Seraphicus Doctor S Bonaventura, in *Speculo Navis*, part. 1, cap. 16. verissimè dixit: *Nemo Dei se aestimet servinum*.